r i

# Phaedri

## Augusti Liberti

# Fabularum Aesopiarum

## Libri V

### cum Appendice.

In

commodum studiosae iuventutis

recognovit, introductionem de auctoris vita, scriptis, et usu agentem, nec non Ioachimi Camerarii libellum de vita Aesopi praemisit, notas criticas et aestheticas ad calcem adiecit

*Franciscus Nicolaus Titze*

AA. LL. et Philosophiae Doctor, Historiarum in C. R. Universitate Pragensi Professor publ. ord. Regni Bohemiae Historiographus.

---

Pragae

in bibliopolio Caspari Widtmann

1813.

# Phaedri

## Augusti Liberti

## Fabularum Aesopiarum

### Libri V.

cum appendice.

# Introductio.

## De

## Phaedri, Augusti liberti, vita, scriptis, et usu.

De vita Phaedri quae tradi possunt, ex eius ipsius scriptis desumi maxime debent, quoniam veterum vix unus atque alter huius auctoris fecerunt mentionem. Atque utinam haec ipsa, quae dicemus, non divinanda magis quam depromenda forent!

Igitur ut a primis initium faciamus, Thracem se solo natali fuisse, et in Pierii montis iugo, Musarum schola, editum, ipse gloriatur in Libri III. prologo ad Eutychum. Puerum patria abductum Romae serviviſſe Augusto, ab eoque esse manumissum, Codicibus credimus, in quibus Augusti libertus appellatur. Ibi in literis latinis institutus, lecto, ut ipse innuit Libro IV. in fine epilogi, Ennio, veteri poeta, sed recentiorum studio magis, ut patet, excultus, poeticae se applicavit, viamque ingressus est a nemine Romanorum ante illa tempora tritam, ut fabulis Aesopiis, iambico metro expositis, et narratiunculis, non minus

festivis ac iocosis, quam doctrina salubri abundantibus, novam sibi laudem et inusitatam Latio gloriam quaereret, efficeretque, ut ne in hac quidem materia Romani diutius cederent Graecis.

Sine dubio et in aliquo maiore honore apud Augustum fuit, in eoque post eius obitum aliquamdiu permansit, dum interim priores duos libellos fabularum emitteret, quos nemini quidem, ut ostendunt prologi, nominatim dicavit, ad aliquem tamen honoribus et doctrina insignem virum misisse videtur, quantum coniicio ex his in epilogo Libri II. positis versibus:

*Si nostrum studium ad aures pervenit t u a s,*
*Et arte fictas animus sentit fabulas;*
*Omnem querelam submovet felicitas.*

At post aliquanto incidit in tristem calamitatem, quae, si quid ego felicius divinavi, aliter evenit illi, ac adhuc creditum est. Plerique enim critici recentiores, qui de vita Phaedri scripserunt, putant illum ab Aelio Seiano, Tiberii Imperatoris, ut cum Velleio loquamur, singulari principalium onerum adiutore, impugnatum et falsa accusatione impetitum corruisse. Quod si verum esset, mirum fuerit profecto, post Seiani exitium non potuisse innocentem illum ius suum obtinere, ac rursus in integrum restitui. Ego vero ex versibus in prologo Libri III. ad Eutychum scriptis:

*Quod si accusator alius Seiano foret,*
*Si testis alius, iudex alius denique;*
*Dignum faterer esse me tantis malis,*
*Nec his dolorem delenirem remediis:*

modo his interpretandis nulla vis adhibeatur, con

iecerim potius, Phaedrum unum ex Seiani remotioribus amicis fuiſſe, eiusque poſt inſecuta ruina tactum, honore priſtino privatum, in calamitatem deveniſſe, quae illi praeter vitam vix exiguam reſtitutionis ſpem in poſterum relinqueret. His enim verſibus ſignificare mihi Phaedrus videtur, Seianum non iuſto iudicio, ſed vi fuiſſe oppreſſum per Tiberium, qui eius repente ſimul omnia, accuſator, teſtis, iudex extiterit. Congruunt haec egregie cum iis, quae Taciti fragmenta Annall. lib. V., quaeque Suetonius in vita Tiberii capp. 55. et 61, nec non Seneca Epp. 55. tradunt. Nec tamen purgare noſter illis verſibus Seianum ſtudet, ſed id modo queritur, vi et impotenti crudelitate Tiberii illum decidiſſe, qui ſi alium accuſatorem, teſtem alium, alium denique iudicem eſſet expertus, fortaſſe non ita fuiſſet afflictus, nec poſt ſe tot aliorum, ſuique innocentis ruinam traxiſſet.

Itaque poſt illud Seiani exitium, accepta plaga, Phaedrus reliquo tempore ſub Tiberii principatu delituiſſe ac omnino tacuiſſe mihi videtur, donec illi, Caligula iam rerum potiente, per Eutychum, hominem teſte Joſepho Antiquitatum XIX. 3. apud Caligulam Imperatorem gratioſum, ſpes aliqua melioris fortunae affulgeret. Ad hunc propterea et libellum III. fabellarum, et ſi a Codicibus ſtetur, IV. quoque dedit. In prologo tertii, quoad id fieri res patiebatur, publice de calamitate ſua conqueſtus eſt, et potuit hoc ſub initium principatus Caligulae, hiſtoria non refragante. In epilogo autem libri IV. aperte promittit ſibi auxilium ab Eutycho, cum ait:

*Stultum admovere tibi preces existimo,*
*Proclivis ultro cum sit misericordia.*
*Saepe impetravit veniam confessus reus:*
*Quanto innocenti iustius debet dari!*
*Tuae prius sunt partes, aliorum dein,*
*Similique gyro venient aliorum vices.*
*Decerne quod religio, quod patitur fides,*
*Et gratulari me fac iudicio tuo.*

Involvebat haec Phaedri sors haud dubie arcana multa, quia addidit:

*Excedit animus, quem proposuit, terminum;*
*Sed difficulter continetur spiritus,*
*Integritatis qui sincerae conscius*
*A noxiorum premitur insolentiis.*
*Qui sint, requires; apparebunt tempore.*
*Ego, quondam legi quam puer sententiam:*
*P a l a m m u t i r e p l e b e i o p i a c u l u m e s t,*
*Dum sanitas constabit, pulcre meminero.*

Ex his posterioribus versiculis apparet simul, Phaedrum calliditate quadam esse usum, ut Eutychum ad sui auxilium induceret, quia innuit, cum sua caussa esse coniunctam culpam aliorum quorundam, qui nondum noscerentur, sed tempore sint apparituri. Verum, quantum coniicere est, nihil his artificiosis precibus Phaedrus egit. Fortasse metuebat Eutychus, ne rursus moveretur sentina illa Seiana, quae alioquin ingentem hominum et reorum et innocentium numerum ante hauserat.

Quodsi in hac re Phaedri, ut par est, asseverationibus fidem habemus, innocens profecto fuit. At fama videtur aliud esse locuta, quam sine dubio secutus est Martialis, scribens in epigrammate libri III, 20.:

*Dic Musa, quid agat Canius meus Rufus?*
*Utrumne chartis tradit ille victuris*
*Legenda temporum acta Claudianorum?*
*An quae Neroni falsus adstruit scriptor?*
*An aemulatur improbi iocos Phaedri?*

Non enim temere factum videtur, quod Martialis hic non *iocos improbos*, sed *Phaedrum improbum* dicit. Verba autem: *An aemulatur* vix relinquunt dubium, quin de Phaedro nostro hic sermo sit, ut qui in novo Romanis poeseos genere *aemulum* recipiebat. Utut res habeat, non est nostrum, de bene meritis suspiciones movere, et famae obsequi potius, quam protestationi non satis, ut videtur, auditi rei credere. Nocuit sane haud dubie immeritis etiam poematis eius, primum illa cum Seiano, quamvis remotior, et a pravis illius consiliis aliena, coniunctio, deinde insecuta calamitas cum maligniore fama.

Errant autem valde mea opinione, qui ex epilogo laudato libri IV. Phaedrum nobis tum, cum haec scriberet, senem iam faciunt. Provectioris eum aetatis, non tamen omnino senilis fuisse, loquuntur versus:

*Quod es pollicitus, exhibe vocis fidem!*
*Nam vita morti propior est quotidie,*
*Et hoc minus perveniet ad me muneris,*
*Quo plus consumet temporis dilatio.*
*Si cito rem perages, usus fiet longior:*
*Fruar diutius, si celerius coepero.*
*Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,*
*Auxilio locus est. Olim senio debilem*
*Frustra adiuvare bonitas nitetur tua,*
*Quum iam desierit esse beneficium utile,*
*Et mors vicina flagitabit debitum.*

Sat longum ſibi adhuc vitae ſpatium promiſiſſe putandus eſt, qui diceret: *Olim senio debilem etc.* Unde, ni fallor, cadet etiam opinio eorum, qui credidere Phaedrum bello illo, quo Octavius Auguſti pater Thraces fudit, captivum Romam fuiſſe abductum. Quaſi non aliae ſortes multae ſint opinabiles, quarum aliqua ſub Auguſti dominatu potuerit eum Romanis fluctibus iniicere.

Illud autem advertendum magis, hos duos fabellarum libros, tertium inquam et quartum, quos ad Eutychum dedit, plurima illa continere, quae ad vitam et fata noſtri poetae pertinent, propterea quod poſt Tiberii mortem primum ab auctore emiſſi ſunt. In his non ea tantum numero, quae ex claris auctoris verbis etiam nunc a nobis percipi poſſunt, ſed multa inſuper, quae ſub ipſa fabellarum quarundam allegoria latent, nec niſi divinationem noſtram admittunt. Sic longior illa Lib. III, 10. affabulatio certe habet aliquid in ſe, quod Phaedri familiares pulchre intellexerunt, nos autem miſere divinando vix iam develaverimus. Videntur autem mihi poſtremi verſus:

*Haec exſecutus ſum propterea pluribus,*
*Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus;*

reſpicere non ipſam praecedentem narratiunculam *de Credere et non Credere*, quae quidem mea opinione brevior atque aſtrictior fieri vix potuit; ſed explicatiorem huic narratiunculae poſtpoſitam doctrinam:

*Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim:*
*Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,*
*Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.*

*Hoc admonere simplices etiam potest,*
*Opinione alterius ne quid ponderent.*
*Ambitio namque dissidens mortalium*
*Aut gratiae subscribit, aut odio suo.*
*Erit ille notus, quem per te cognoveris.*

Apparet, poetam offensiones quorundam incurrisse, propterea quod in libris prioribus epimythia posuisset nimis brevia, quo factum videtur, ut nonnulli sibi conscii malignius de se narratam fabulam interpretarentur. Idcirco, quoniam sequentibus libris de industria inserere nonnullas fabulas cogitaret, quas, ut ipse in prologo libri III. ait, *in calamitatem suam leniendam delegisset*, ibidem statim cavit sibi his versibus:

*Suspicione si quis errabit sua,*
*Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,*
*Stulte nudabit animi conscientiam.*
*Huic excusatum me velim nihilominus:*
*Neque enim notare singulos mens est mihi,*
*Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.*

Utut conveniens et vera sit haec excusatio, nihil tamen prohibet, quo minus putemus, Phaedrum superiorem illam doctrinam, quae elicitur ex narratiuncula de Credere et non Credere, sorti suae vel maxime accommodasse, ac contra inimicos et calumniatores suos potissimum direxisse.

Evanescente tandem et illa, quam de Eutycho conceperat, spe restitutionis in pristinam fortunam, reduxisse se Phaedrum credo, et in propria, ut ait Horatius, pelle acquievisse. Nihilo magis tamen cessavit, poematis se consolari et a fortunae malignitate, quantum potuit, vindicare. Sed postremum iam libellum fabellarum

V. dedicavit non potenti cuidam viro, ſed Phileto Urſo Particuloni, homini docto et ſibi amico, cumque eo toti doctorum coronae. Hinc in prologo ſcripſit:

*Mihi parta laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui*
*Veſtras in chartas verba transfertis mea,*
*Dignumque longa iudicatis memoria.*
*Illiteratum plauſum nec deſidero.*

Huius tamen libri V. ut et ſine dubio IIdi fabulae complures nobis perierunt. Accenſeo his fabellas illas quinque, quas doctiſſimus vir Marq. Gudius e MS. Divionenſi deſcriptas Petro Burmanno critico eruditiſſimo et de noſtro poeta meritiſſimo edendas reliquit. Eas in hac editione (omiſſis potius quibusdam aliis non ſine gravi ratione) deſiderari nolebam, vel propter unam illam *de homine et arboribus* poſtremam, quae probat, non fruſtra ſcripſiſſe Phaedrum in prologo libri I.:

*Calumniari ſi quis autem voluerit,*
*Quod arbores loquantur, non tantum ferae;*
*Fictis iocari nos meminerit fabulis.*

Aliquamdiu incertum me tenuere fabulae illae, ſive triginta, ut editio Stuttgartiae et Tubingae apud I. G. Cottam 1812. 8. curata, ſive plures, ut princeps editio Neapolitana numerat, quas Caſſitus in Codice manuſcripto, Farneſiae olim, nunc Regiae, quae eſt Neapoli, Bibliothecae deliteſcentes se ait detexiſſe, quasque Phaedri noſtri, quem Julium Phaedrum vocat, cum Janellio eſſe aſſeverat. Verum cum is codex non alius eſſe videatur, quam qui olim Nicolai Perotti fuerat, a Petro Burmanno in editione Phaedri A. 1727. 4. deſcriptus, in quo non ſolummodo Phaedri,

ſed aliorum etiam auctorum veterum et recentiorum poemata minora permiſta continebantur, arduum profecto eſt pertendere, has inde depromtas fabulas omnes eſſe Phaedri, praeſertim cum ne ſtylus quidem omnium Phaedri genio reſpondeat, ſicut clar. Chr. G. Heynius aliique ſenſerunt. Ex his tres paene ad verbum concordant cum fabulis 22da, 23tia, et 27ma, quas Burmannus in Appendice II. fabularum Phaedro ſuo annexarum vulgavit. In tanta igitur rei ambiguitate veritus ſum, has editioni meae ſubnectere, excepta una, quae inſcribitur *Prometheus et Dolus*, Phaedro, ſi quid ego recte ſapio, longe digniſſima.

Ceterum illos Poetae ad Particulonem verſus, qui incipiunt:

*Adhuc ſuperſunt multa, quae poſſim loqui,*

quasque ex editoribus antiquiores, ut Codices monſtrabant, in medio ferme libri V. conſtituerunt; recentiores quidam epilogum libri IV. fieri juſſerunt, a me pro epilogo in fine libri V. repoſitos eſſe, exſpecto, ut viri eruditi probent. Item illud, quod prologum lib. V. ad Particulonem, qui olim librariorum vitio in duas partes diſcerptus erat, coniungendo reddiderim unum.

Non fuiſſe plures, quam quinque Phaedri fabularum libros, teſtimonium praeſtat Flavius Avianus, in praefatione ſuarum fabularum ſcribens: *Phaedrus etiam partem aliquam* (Aeſopi fabularum) *quinque in libellos reſolvit.* Quousque demum Phaedrus vitam extenderit, ubi et quomodo obierit, nemo eſt, qui nos certiores reddat. Mirantur critici, Senecam philoſophum in Conſolatione ad Polybium c. 27. *fabellas et Aeſopios*

*logos intentatum Romanis ingeniis opus* pronuntiasse, erantque, qui hoc argumento consisi negarent, Phaedrum illis, quibus nos credimus, temporibus vixisse, quod aliter Senecae non potuisset esse ignotus. Sed multa his possunt opponi, et ante me opposita sunt. Primum, Senecam de Romanis ingeniis loqui; at Phaedrum fuisse Thracem. Hoc P. Pithoeus, Lipsius, et G. J. Vossius. Deinde, Phaedri libellos primis temporibus in manibus fuisse paucorum, itaque potuisse Senecae esse ignotos; quae coniectura est Baelii. Tum, Senecam loqui de fabulis latina prosa, non metro scriptis; quam opinionem prodidit I. Alb. Fabricius. Ex his plurimum fateor satisfacere mihi Baelii sententiam, quam eandem ferme et antea F. Vavassor dixerat. Queritur enim Phaedrus ipse compluribus locis, poemata sua nondum innotuisse satis: apud eos autem, ad quos pervenerint, non paucos etiam obtrectatores fuisse experta. Sufficit nobis, illum, ut ostendimus, Martiali fuisse notum. Et, si Quinctiliani verba Inst. Oratt. I, 9. recte connecto, hic quoque loquitur de fabulis latinis metricis, quas suadet Grammaticae studiosis proponendas, ut discant *versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari, tum paraphrasi audacius vertere, breviare etiam, et rursus exornare salvo poetae sensu.* Anne hic Phaedri fabulas in animo habuit? Non ausim affirmare omnino, nec tamen negare. Consentit et Suetonius in libello de claris Rhetoribus c. 1. tradens, inter exercitationes discipulorum et hanc fuisse usitatam, *ut apologos aliter atque aliter exponerent*: quos ille sine dubio latinos intelligit,

quia post demum infert, *interdum solitos eos etiam Graecorum scripta convertere.* Sed satis.

Nunc quoniam proxime nobis de lectione et usu Phaedri foret disserendum, ea autem disputatio ferme recidat ad communem fabularum omnium naturam, artem et utilitatem; nec praetereundum sit, quin de Aesopo, fabularum paene patre, deque eo fabellarum genere, quod is in communem hominum vitam intulit, quodque nomen ab illo traxit, agamus; visum est pro nobis hic loquentem inducere Ioachimum Camerarium, virum seculi sui sine controversia in primis eruditum, eloquio latinissimum. Ex eius igitur Fabularum Aesopiarum, latina prosa compositarum, uberrima collectione, quae in usum studiosae iuventutis olim edita, aliquoties recusa, nunc autem incuria temporum neglecta, et paene ad oblivionem redacta est, decerpsimus vitam Aesopi ut eam partim ex Planude, partim ex aliis, sub stylo concinnavit, lectuque dignissimam et utilissimam iuventuti reddidit. Quod quidem de alieno sumtum, aut potius de communi bonarum literarum thesauro hic denuo expromtum opusculum spero gratum acceptumque fore non iuvenibus modo studiosis, sed eorum quoque praeceptoribus, quos non effugiet, paucula quaedam a contextu per nos esse recisa, quae Camerarius pro instituti sui ratione attexuerat.

# Ioachimi Camerarii

## libellus

## de

## vita et moribus fortunaque et interitu Aesopi.

Aesopum, fabellarum illum mirificum artificem, in Phrygiae, eius quae magna dicitur, urbe Ammorio, natum esse invenio. Neque tamen desunt, qui Thracem Mesembrianum fuisse perhibeant. Neque item alii, qui Samium. Sane inter plerosque constat, hunc vixisse potiente rerum in Lydia Croeso, et servitutem serviisse Xantho cuipiam Samio. Quibus etiam temporibus multi sapientissimi viri floruerunt, e quibus potissimum septem a posteritate nominatim celebratos legimus. Ea tempestate, ingenii bonitas et sapientiae usus non de exquisita verborum compositione, et longae orationis cura aestimabatur, sed potius de dictorum gravitate et significantia, quibus praecipua utilitas inesset, quaeque doctrinam complecterentur, qua homines meliores fierent. Quod satis liquet ex illorum, quos dixi sapientum dictis, quae ipsorum propria fuisse traduntur. Veluti quo Solonem usum ferunt, *Spectandum semper esse diuturnae vitae terminum.* Bias vero animadversa re-

rum humanarum pravitate, queri ſolebat, *maiorem eſſe ubique improborum numerum.* Thales *ſpondentibus pro aliis praeſto noxam eſſe* aiebat. At Pittacus pulcerrimam rem modum commendans, habebat crebro in ore, *Ne quid nimis*, ut Terentius dixit: vel quemadmodum alii tradiderunt, *obſerva tempus.* Periander monebat *frenandam eſſe iram*, vel ut aliis video placuiſſe, *ſtudio et exercitio nihil non obtineri.* Lacedaemonius Chilo iubebat *quenque noſſe ſe.* Cleobulus affirmabat *mediocritatem eſſe omnium rerum primam.* Atque horum dictorum aliquot ea reverentia ab antiquitate iſque honor habitus fuit, ut pro foribus Apollinis Delphici, tanquam non humanae, ſed divinae voces, ſcriberentur. Sed nunc ad inſtitutam de Aeſopo hiſtoriam revertamur.

Eum Herodotus ἐυτέρπῃ ſervum fuiſſe Iadmonis Samii, qui eodem tempore ancillam habuerit Rhodopin, hoc argumento colligit: Cum enim inquit, Delphicum oraculum iuſſiſſet Aeſopo poenas pendi, nemo inventus eſt, qui has illius nomine expetere vellet, praeter unum Samium civem, nepotem Iadmonis, avo cognominem. Sane et utrique horum ſervire Aeſopus, et veritas priſcae rei perturbari potuit. Verum cum propoſuerim, de vita et moribus Aeſopi narrationem texere, conquirens ea, quae a veteribus tradita eſſent, ſequar id, quod eſt maxime receptum, veniſſe in Samo Aeſopum Xantho Philoſopho, qui tandem invitus libertate illum donaverit, permotus ac potius coactus flagitatione et clamore populi Samii.

Aeſopum igitur conditione ſervum fuiſſe com-

perio, et corpore valde deformi ac foedo, colore atro, unde et nomen illi inditum videtur. Nam Aesopus, et qui propter oris nigri quasi fuliginem, Aethiops dicitur, idem significant. Praeterea acuto capite, collo brevissimo, labiis dependentibus, denique ea turpitudine, quae humanae figurae maxima depingi posset. Contra vero, nemo unquam sensuum subtilitate et ingenii acrimonia majore praeditus fuisse perhibetur. Itaque corporis tam indigesta moles mentis speciosissimae sedes fuit. Quod quidem ipsum, etsi raro, non tamen nunquam animadversum est, docuitque mortales, non esse de externa rerum specie summam bonitatis aestimandam.

Utrum vero ille et balbutierit aliquando, et tantum non mutus, divino beneficio orationis copiam consecutus fuerit, de eo ut quisque volet, existimet. Ego cur verum esse credere debeam, non video. Quare quae de hoc traduntur praetermittam, et quomodo in Samum pervenerit, quibusque factis ac dictis adhuc servus famae celebritatem, et postmodo libertus populi Samii, laudem et gloriam promeruerit, deinceps exponam.

Forte accidit, ut Aesopus cum aliis aliquot mancipiis Ephesum ad mercatum mittendus esset. Cum autem, quae illuc deferri dominus jusserat, ea servi inter se partirentur, et se quisque oneri suo ferendo, ita ut fit, accingeret; vehementer Aesopus oravit, ut sibi et non valido et novitio homini parcere, et aliquid, cui portando sufficeret, imponere vellent. Quem intuiti omnes, et fortasse miserati quoque fecere potestatem illi,

deligeret, quod ipſe minime grave futurum ſibi crederet. Tum ille omnia diligenter oculis perluſtrans et manibus tentans, vbi vidit in medio collocatam ſportam ingentem cum panibus, quamque alii duo ferre deberent, petiit eam ſibi relinqui. Quo facile impetrato, cum omnium riſu, qui quidem illum deſipere dictitarent, ultro depoſcentem quod graviſſimum eſſet, cum ante laborem tantopere fuiſſet deprecatus, ſic tum iter ingreſſi ſunt. Iam diei dimidium abierat, et acquieſcentibus omnibus iubetur Aeſopus meridiantibus cibum diſtribuere. Quo facto mox in via ponderis una parte ſemivacua in corbe minus geſtabat. Itaque et multo quam prius ambulabat expeditius. Poſtero vero die, cum, quod reliquum fuerat cibi, ſimiliter eſurientibus impendiſſet, ipſe inanem corbem aſſumens, longo poſt ſe alios intervallo relinquebat. Ita demum intellexere, et ſeſe immerito illum deriſiſſe, et illum certa ſpe diuturnioris commoditatis, maiorem ſed brevem moleſtiam capere voluiſſe. Atque inde natum proverbium fuit αἰσωπείου φόρτου, de iis, qui ingenioſe ipſi ſeſe levarent, vel corporis onere vel moleſtia animi.

Cum autem mercatus iam abiviſſet, aliis rebus ſatis bene diſtractis, manſere reliqui duo pueri mercatori, qui Epheſi emtorem reperire nullum potuerant. Horum unus carminum, alter dicendi peritus debebat eſſe, cumque illis Aeſopum una trahebat. Itaque ſtatuit in Samum traiicere, quo ubi ventum fuit, in forum rerum venalium mancipia pro ſua utrumque profeſſione exornatum conſtituit, interque haec, quod multi tum repre-

henderunt, medium Aesopum. Sed mercator astute voluerat formosos per se pueros, hac contraria turpitudine speciosiores reddere. His ita ordinatis, advenere cum alii Samii, tum cuius in ea insula celebre nomen ob sapientiae studium erat, Xanthus; eum aliquot discipuli ipsius comitabantur. Qui pulcritudine puerorum allectus accessit propius, et cantorem coepit percontari, quid profiteretur. Cui ille, facere quodcunque ei collibuisset. Quo dicto, immoderate Aesopus risit. Tum Xanthus et alterum de professione ipsius interrogans, similem responsionem audivit. At Aesopus quam ante aliquanto effusius risit. Discipuli, qui illud animadverterant, misere, qui causam cachinnorum sciscitarentur, quos Aesopus cum convitiis repulit, exspectans dum a magistro de ea re compellaretur. Xantho autem licitante, cum puerorum unus denariis ter centum, alter ducentis indicaretur, deterritus ille pretii magnitudine, retro abiit tanquam discessurus. At discipuli coepere orare illum, ne prius abscederet, quam deformem etiam istum compellasset. Xanthus magis ioci et risus gratia, quam quod tanti illum putaret, morem his gessit. Et ita ut ante fecerat, Aesopum interrogavit, quam artem factitaret. Cui ille respondit: Prorsus nullam. Cumque instaret Xanthus, et causam sciscitaretur: Quia enim, inquit Aesopus, isti sodales mei, facturos se omnia professi, non reliquere aliis quid facere possent. Tum animadvertere discipuli, hanc paulo ante risus illi causam fuisse, et Xanthus non parum festivitate hominis delectatus: Quid, inquit, si te forte emero, bonus esse voles? Re-

ſpondit Aeſopus: Etiamſi non emeris. Tum Xanthus: Commiſſurus ne es, ut aufugere tentes? Tum Aeſopus: Vidiſti tu unquam aviculam, inquit, quae, forte nacta rimulam, per quam e cavea exire poſſet, conſuleret dominum de fuga? His auditis comprobavit quidem ingenii illius acrimoniam et promtam vim Xanthus, ſed corporis deformitatem dixit vix laturam hominum conſuetudinem. Ibi Aeſopus nonnihil commotus: Philoſophe, inquit, mentem intuere. Non enim cum vinum tibi placuit, dolii maculis aut lituris offenderis. Xanthus iam non feſtivitatem huius, ſed ſapientiam admiratus, emere ſtatuit, et pretium ſciſcitatus, hunc ſibi placere dixit. Tum mercator: Quid, inquit, ſterquilinio iſto tibi emto opus eſt? utrumvis horum adoleſcentum mercare, et hunc adiiciam, ut accedat mercimonio hoc portentum veluti cumulus. Xanthus reſpondit, iſtum ſibi placere; proinde ſi venundare cupiat, ne moretur indicare. Quid igitur? inquit mercator: Si hoc certum tibi eſt, numera ſane ſeſtertios quadraginta. Xanthus pretio perſoluto Aeſopum ſe ſequi iuſſit.

Cumque perveniſſet cum mancipio domum, non ignarus morum ingeniique uxoris ſuae, facere voluit, ut illius criminationes anteverteret, neve de improviſo illi tam deformem faciem ante oculos adduceret. Itaque abblandiens illi memorare coepit, tandem emiſſe ſe, quod diu rogatus eſſet, ſervulum, quo uti cum vellet, poſſet. Cui illa: Sane bene abs te factum eſt, cum erga me tam munificum te praebuiſti. Sed quanti, inquit, mercatus es? Pretio, inquit ille, non magno.

Quin igitur, inquit illa, produci in conſpectum iubes? Tum ille: Adhuc de itinere foediuſculus apparet, ſed accerſat aliquis, inquit, novitium ſervum. At illa, ut res erat, circumvenire ſe verbis et tegi mercimonii turpitudinem rata: Profecto, inquit, monſtri aliquid affers, nam valde mirandum ſit, ſi tu tantae curae me tibi eſſe patiare, ut acceptis ſervitiis mihi gratificere. Cui Xanthus: Uxor, inquit, quod mihi probatur, aequum eſt, non diſplicere tibi, ſi mulierem vis te perhiberi probam. Inter hos ſermones prope acceſſerat Aeſopus, quem contuita mulier, averſum ab illo in virum plenum irae et indignationis vultum contorquens: Haec, inquit, ſunt odii erga me tui et contemtus manifeſta indicia: neque enim uſpiam gentium unquam tetriorem humana ſpecie beluam extitiſſe credo. Quid tu, inquit Xanthus, verbero, dudum ita loquax nunc tam obſtinate taces, ac non potius aliquo bello dicto placas heram? Tum Aeſopus pauliſper cunctatus, graecum verſiculum pronunciavit, in quo tres peſtes rerum humanarum dicuntur eſſe, mare, flamma, mulier: θάλασσα καὶ πῦρ καὶ γυνὴ κακὰ τρία. Quo audito illa quaſi parum ante irata fuiſſet, ita accenſa furere. Ipſe etiam Xanthus prae ſe aliquam animi ob dictum commotionem ferre. Quare Aeſopus, ne contumelioſe locutus putaretur, ita coepit quod dixerat, corrigere, ut de malis interpretaretur, et verſus proferret Euripideos, quorum haec ſententia eſſet.

*Inſana rabies eſt undabundi freti*
*Vis fluctuumque noxia, formidabilis*
*Flammae furor, metuenda res eſt inopia,*

*Suntque horribilia per terras plurima alia:*
*Sed nihil ita horribile eſt uti mulier mala.*

Proinde mea, inquit, hera, cave e poteſtate exeas, ac potius effice manſuetudine, ut inter bonas et laudatas foeminas numereris. Quo audito cum pudor illam ad moderationem quandam redigeret, intuens Aeſopum profiteri coepit, de illius verbis cognoſcere, neutiquam homini mentem ingeniumque deeſſe, ſeque illum non reſpuere. Ita ille ſervitutem Sami philoſopho, quem ſaepe nominavimus, ſerviebat, cum illi eſſet a mandatis et pedibus et nuntiis et adverſationibus, poſtremo etiam, ut hiſtoria fingit, atrienſis, coquus, obſonator, et unus obiret omnia ſervorum munia.

Accidit autem aliquando, ut prodeambulaturus extra urbem ad mercatum olerum Xanthus, ſequi ſe Aeſopum iuberet, cumque olitor habitum Philoſophi conſpexiſſet, magnopere illum orare coepit, ut certam dubitationem, qua valde agitaretur, ſibi eximeret. Se enim non ſatis mirari neque decernere poſſe, qui fieret, ut quae herbae ſua ſponte e terra naſcerentur, tam facilia et ingentia incrementa facerent, cum, quae magno ſtudio et labore inſertae aut ſatae eſſent, ſaepenumero ne pullularent quidem neque erumperent, ſed in ipſo ortu intermorerentur, aut ſi maxime adoleviſſent, tamen nullo modo aliarum progreſſus aſſequerentur. Xanthus cum non inveniret, quomodo quaeſtionem olitoris explicaret, ita divinitus fieri reſpondit. Quo dicto in claros cachinnos erumpit Aeſopus, ita ut intelligeret Xanthus ſe irrideri. Ac commotus, quid rides, inquit

maſtigia? Cui paululum ſeducto Aeſopus, magiſtrum, ait, tuum derideo, a quo huiusmodi es reſponſiones edoctus. Quis enim neſcit, omnia, quae quidem in hoc mundo fiunt, ea fieri divinitus; ſed horum exquiſitas cauſſas philoſophia in medium profert hominibus. Nunc igitur me producito, ſimul ut quae olitor requirit, cognoſcat, et non poſſit te ut indoctum vulgo criminari. Xanthus ad olitorem reſpiciens: Si, inquit, aves harum rerum explicatiorem cauſſam noſcere, licet e puero meo ſciſciteris: nam ego prae aliis magnis conſiderationibus huiusmodi nugis vacare nequeo. Me miſerum, inquit olitor, ſi iſte litteratus eſt, quibus ſtudiis me in aetate occupavi? Sed heus tu, quid cauſſae horum dices quod meam dubitationem diſſolvat? Cui Aeſopus: Nunquam compertum eſt, reſpondit, novercam ea ſedulitate fovere privignos, qua matrem liberos complecti videmus. Terram autem certum eſt eſſe ſponte naſcentum quaſi parentem, inſitorum autem novercam. Quare illa ut mater alit ac vegetat, haec ut noverca multo ſegnius curat, ac potius quod ab his avertere ad illa poteſt, id ſtudioſe facit. Tum olitor: Profecto magna me liberaſti dubitatione, inquit. Ob quod, ut gratum eſſe me intelligas, quoties volueris hinc quantum lubebit olerum ſumas licebit. Hoc loco ſciens praetereo, quae a Planude recenſentur, nempe illas nimium nihili fabellas de lenticula et balneo, itemque de pedibus ſuillis, et benevola, aliquot etiam triviales in convivio iocationes, quod non ſcite haec conficta eſſe videantur. Neque enim magnopere eſt exquirendum,

quid huiusmodi in narrationibus omnino verum, ſed quid aptum et facetum, et ad utilitatem etiam aliquam audientium compoſitum ſit.

Nunc igitur deinceps duas fabellas memorabo, unam de revocatione herae, quae a viro diſceſſiſſet, confictam ſecundam Graecam hiſtoriam, quam Pauſanias exponit in Boeotiae deſcriptione, alteram de emtione linguarum, deſumtam ex Biantis facto, quod Plutarchus recenſet in convivio ſeptem ſapientum. Erat Xanthi uxor nobilis, et quae multum dotis viro attulerat, qua freta et generis factione ſuperbiens, magis ipſa viro moderebatur, quam illius imperio ſubiiciebatur. Quare et procaciter facere multa, et ſumtuoſa eſſe, et offendi facile, ut eſt iſtarum mulierum mos, et viro reſponſare, et iurgari, denique ſi quando eſſet commotior, minari diſceſſionem conſueverat. Accidit igitur, ut tot contumeliarum impatiens Xanthus, aliquando acciperet eam haberetque duriuſcule, ſperans ſua ſeveritate illius petulantiam fractum iri: ſed quod ipſe profuturum ſperaverat, in damnum convertit. Obiurgata enim acrius uxor, quod ſaepe in levioribus diſſidiis minata fuerat, fecit ut a viro diſcederet. Xanthus quamvis improbam foeminam, uxorem amabat, et illius criminationes metuebat, veniebatque adeo de dote in periculum. Mittere igitur quotidie qui accerſerent, blandirique per interpretes illi: verum ubi eam non moveri intelligit, valde graviter caſum illum ferre coepit. Quo animadverſo Aeſopus, ratione de mulieris revocatione inita, ad herum adit, iubet bono eſſe animo, effecturum ſe, ut ultro redeat hera. Et

pecunia accepta ad forum abit, dictitans se quaesere venales res necessarias nuptiis, de quibus non in macello solum percontabatur, sed ad aedes etiam, cum alias, tum ubi herae parentes habitabant, dissimulans sibi notas esse, accedens, petebat mercatum avicularum, piscium, et aliarum cupediarum. Erat Aesopus non solum ea in domo familiae, sed fere in tota urbe notus omnibus. Et quia servire eum marito herilis filiae sciebant, sciscitari diligentius, cui rei obsonaret tam laute. Aesopus, pro eo ac consilium ceperat, respondit callide: Duxisse uxorem herum suum, posteaquam prior discesserit, neque ullis precibus aut blanditiis retrahi potuerit, et invitasse multos mortales, quos cupiat opipare pascere in convivio nuptiali; eam ob rem se conquirere, quicquid gulae gratum adipisci queat, et nulli pretio parcere iussum esse. Hoc audito ancillae, alia aliam praeverti studens, ad herilem filiam cursitant, exponunt quae ex Aesopo audierant, augentque dicta, ita ut fieri solet, muliebri loquacitate et perverso studio exaggerantes rei indignitatem. Tum illa, ut impotens animi mulier erat, mutata subito mente, curriculo ad virum regreditur, ignarum horum omnium. Cui cum multa et gravia convitia fecisset, et animum exonerasset indignatione sua aliquantulum: Non ita, inquit, tibi felices erunt Dii, Xanthe, ut me viva alia uxore potiri concedatur. Xanthus re cognita mirari calliditatem Aesopi, et reconciliare sibi obsequio iratam uxorem.

Atque ita rebus compositis post non multos dies, cum studiosos aliquot sapientiae homines

invitasset ad coenam Xanthus, mittit obsonatum ad forum Aesopum, eique imperat, ut emat quod quidem sit optimum et bellissimum. Aesopus nactus occasionem explicandi ingenii sui, ad astutas elusiones idonei, cogitare secum coepit, ostensurum se hero, quid sit rem mandare imprudenter, et abiens nihil praeter linguas bovillas in cibum paravit. Cum iam vocati ad coenam convivae accubuissent, mensa posita, iubet afferri dapes Xanthus, ratus instructa omnia esse magnifice. Tum Aesopus assulas linguas singulas binis, ut accubuerant, apponit. Laudantibus convivis exordium, ut conveniens philosophicae coenae, quod lingua sapientiae esset interpres, petit Xanthus aliud epularum genus. At Aesopus elixas apportat linguas. Tum ille aliud poscit: At hic frixas; cumque postularet aliud ille, hic cum iusculo conditas linguas fert, denique omnia erant linguarum fercula. Ibi vehementer iratus Xanthus, verbero, inquit, quid sibi volunt linguae per omnia? An mandata haec mea fuere, ac non potius ut parares, quod quidem esset optimum et bellissimum? Cui nihil exterritus Aesopus: Laetor, inquit, accusari me praesentibus tot doctrina et eruditione claris viris, quos ego iudices facio facti mei et mandatae rei executionis. Quid enim linguae bonitati conferendum est? Quae sola animi optima inventa in lucem producit, unde quicquid uspiam in rebus humanis bene est constitutum, extitit et conservatur. Et quid opus est multis verbis audiente hoc coetu? Aut cui ignota est haec Hesiodi sententia, qua etiam latentis linguae thesaurus optimus esse dicitur, cum inquit:

*Non alia est melior res quam custodia linguae,*
*Gratia quam decorat moderatae summa loquelae.*

Quid faceret Xanthus, maxime cum videret convivas Aesopo assentiri: ergo, inquit, in crastinum voco vos denuo. Nam cupio vobis aliquid escae dare praeter linguas. Tu vero ostentator sapientiae, abi, et in crastinam caenam para, quod quidem erit pessimum et deterrimum. Postero die redeunt convivae, et Aesopus ita ut eius diei pridie, epulas universas linguis instruit. Tum Xanthus: Scelus, inquit, iamne linguae pessimae factae sunt et deterrimae, quae heri tibi erant optimae factae et bellissimae? Cui Aesopus: Here, respondit, planum facere possim, omnia quae in hominum vita male et scelerate fiunt, caedes, proditiones, iniustam vim, fraudes nefarias, et quicquid est malorum facinorum, id totum strui linguae ministerio, cum mala prius consilia ineantur et sermone communicentur, quam ad factum accedatur. Quid autem ego aliud debeo sentire, quam, quod consensus multorum seculorum proverbio extulit:

*Lingua quonam pergis? urbem ut condam et urbem ut eruam.*

Ciebant haec bilem Xantho, et quia arbitrabatur illudere sibi Aesopum, ingentem indignationem adversus illum animo concepit. Ibi unus e convivis: Hic inquit, ad insaniam aliquem facile adegerit. Quo dicto cum sentiret Aesopus Xanthum contra se instigari: Oportet tibi, inquit, a rebus tuis profundum esse otium, qui alienas cures, herumque irites, inque servum exstimules. At Xanthus, arrepto per occasionem

dicto, quaerebat enim caussam, quam suae irae praetexeret, si affecisset verberibus Aesopum: Quia tibi, inquit, hic vir doctissimus curiosus est, tu, nisi qui non sit, adduxeris, vapulabis. Postero die Aesopus per urbem aliud ex alio cogitans incedere et quaerere, quem simplicem et minime curiosum probare posset hero suo, cum videt rusticum hominem negligenter cultum ac curatum forte in suo loco assedisse. Eum igitur de habitu corporis ratus esse neutiquam curiosum, familiariter appellat, et verbis heri sui invitat ad coenam. Rusticus divinitus occasionem sibi offerri existimans, ut sine suo dispendio bene esset, statim promisit, nihil etiam percontatus, quid hominis herus foret, ac, iamne, inquit, imus? Cui Aesopus, maxime, et de sermone etiam maiorem in spem adductus, sese compotem voti effectum, planeque gratulans sibi inventum esse, quem quaesiisset; Sequere, inquit. Cumque in coenaculum pervenissent, ubi lectuli strati essent, in proximum rusticus, ita ut erat luto et pulvere foedus, incubuit. Quem ad coenam veniens Xanthus conspicatus, rogat Aesopum quid hospitis sit. Cui Aesopus respondit: esse incuriosum, quem iussus fuerit adducere. Recte, inquit, curasti, et admoto ore ad aurem mulieri, praedicit illi, habiturum se caussam verberandi Aesopum, quam diu vestigarit, modo ipsa se morigeram in omnibus quae iussa fuerit, praebeat. Ac mox clara voce: Mulier, inquit, aquam inferto, et pedes hospitis lavato. Illa nihil morata attulit aquam infusam in pelvim, et procumbens ad lectulum, in quem rusticus sese instraverat, petiit ab illo, ut

pedes porrigeret. Xanthus nullo modo putabat laturum hoc rusticum; et prorsus recusaturum servitium dominae. At ille secum: Sane labor iste debuit ancillae delegari, sed quid in sua quisque domo instituat, non est meum reprehendere, et protensis pedibus: Domina, inquit, licet detractis peronibus iam laves. Iam erat fames mitigata discumbentibus; petit igitur poculum Xanthus, et allatum rustico dat in manus, iubetque bibere, sperans principium honoris gratia ad se remissurum, quod exquisitum videri posset, et suppeditare verberandi Aesopi caussam. At rusticus decere facere cogitans, quod mandaret is, qui coenam daret, acceptum poculum Xantho vacuum reddidit. Xanthus omnino cupiens Aesopum refellere, et efficere, ut aliquid eorum, quae faceret, hospes curaret, ubi videt forte illum valde avide mandentem certum cibum, reprehendere eum cibum coepit, ac dicere, insulsum esse, vocatumque cocum iubere loris ibi ante mensam conscindi. Neque dubitabat, quin rusticus defensurus esset cocum; sed ille tacebat, quod sua nihil interesse arbitraretur, quid herus in servum statueret. Ad ultimum cum placentae appositae fuissent, illisque se ingurgitaret rusticus, quippe cui domi uxor non consuevisset torrere, animadversa ea re Xanthus, iubet accersi cocum, ac, scelus, inquit, ita ne facere te oportet, ut cibos universos corrumpas? Quid enim insipidum magis placentis istis fieri potuit, quibus apparet neque mel neque condimenta exotica te admiscuisse? Cocus a se culpam repellens: Licet, inquit, here irascaris mihi, si placentae sunt crudae aut

adustae; ceterum si condimenta absunt, ego sum extra culpam, teque par est uxori tuae succensere, quae quicquid dedit, id omne mihi in placentas absumtum est. Tum Xanthus: Uxoris meae peccatum est, ut audio; at ego deos testor, non levius illam me castigaturum, quam ancillam aere meo emtam. Ac conversus ad mulierem: Vestes, inquit, hic pone. Sperabat enim hoc saltem non passurum rusticum, et tam indignam iniuriam ab innocente muliere depulsurum, facturumque, ut irati hospitis saevitiam verbis minueret. Verum ille apud se: Aiunt, inquit, vicini mei, se non consuevisse restinguere flammam, qua ipsi non adurantur. Neque ego igitur inseram me alienis negotiis, et Xanthum prehendens manu: Quaeso, inquit, si ita videtur, paulisper mane, dum et meam uxorem adducam, ne ista sola vapulet, sed ambae potius et quidem alternis plagis. Xanthus etsi ferebat aegre, simplicitatem hospitis omnes occasiones verberandi Aesopum praecidisse, tamen et res ridicula illi visa, et ipse coactus fuit fateri, adduxisse Aesopum hominem neutiquam curiosum.

Paucos post dies erat in foro Xantho negotium. Mittit igitur Aesopum exploratum, an magna esset hominum turba apud forum. Quem cum in via obviam habuisset praetor Samiorum, interrogavit, quo abiret? Cui Aesopus respondit: Nescire se quo quidem nunc iret. Praetor irrideri se existimans, lictoribus imperat, ut illum comprehendant, et in carcerem ducant. Tum Aesopus: Censen, inquit, cum domo exirem, credidisse, me ad carcerem tendere? Praetor dele-

etatus reſponſo, iuſſit hominem dimitti. Ita ille inſtitutum iter ad forum perfecit. Ibi cum innumerabilem multitudinem hominum conſpiceret, forte videt unum in ius alterum rapere, qui pecuniam debitam non vellet ſolvere. Qui debebat, praetendebat inopiam ſuam, daturum tamen operam ſe aiebat, ut dimidium alicunde corraderet. Cui creditor: dimidium? Sane bene, inquit, tantum dato, et res eſto ſoluta. *Nam praeſtat dimidium retinere, quam totum amittere.* Habebat enim pro amiſſo, quicquid ad iudicationes devolutum eſſet. Aeſopus cum haec, ita ut diximus, fieri vidiſſet, regreſſus domum nuntiat hero, vix unum hominem in foro conſpici. Xanthus re non intellecta, et miratus qui fieret, domoque egreſſus ſerius, ubi ad forum venit, conſpecta tanta multitudine: Scelus, iſtine, inquit, interea dum ceſſamus convenere? Aeſopus rem illi omnem expoſuit, et turbam quidem eſſe ingentem confeſſus eſt, ſed in tanta turba ſe non plus uno illo homine, quem memoraſſet, cognoviſſe. Videri poteſt hoc effictum de facto Diogenis, quem tradunt aliquando Athenis in arcem conſcendiſſe, et ingenti voce citaſſe populum. Ad quem concurrentibus undique plurimis, et intentis praeconio, quod facturus ille videretur: Ego, inquit, homines citavi, non ſcelera, quod Graeci dicunt χαθάρματα.

Poſt haec, non brevi ſane tempore, invitatus ad convivium Xanthus, cum ibi adeſſent et alii profeſſores diſciplinarum et ſapientiae, alterque alterum poculis graeco ritu invitaret, quod προπίνειν illi dicunt, fiebat Xanthus hilaris, quod iam pluſculum bibiſſet. Tum Aeſopus cernens in

ebrietatem proclivem ferri herum, ut post illum astabat: *Here*, inquit, *Bacchum primum aiunt exhilarare homines, deinde ebrios, postremo insanos facere*. Xanthus offensus monitione: Abi, inquit, et liberis tuis reserva haec praecepta sapientiae.

Atque ita procedente potu, unus ex convivis cernens Xanthum ebrietate obrutum, variis quaestionibus agitare coepit, quibus ille ut quidque in buccam venerat respondendo evomebat. Quare ille alter arrepto tempore: Xanthe, inquit, memini me legere, arte fieri posse, ut ab uno homine totum mare ebibatur, quod ego nunquam credidi, et ex te scire studeo, an verum esse existimes. Tum Xanthus, parum etiam intelligens quid ebalbutiret: Maxime, inquit. Atque ipse adeo facere possim, neque verear volenti pignus dare, domum meam ponere. Placuit hoc isti alteri, et aestimari domum petiit, et re confecta uterque annulum tradidit, quo obligatio firmaretur. Atque ita tum, nam erat multum noctis, discessum est. Cum vero iam illuxisset, et Xanthus, qui de lecto surrexerat, manus vellet abluere frigida, annulum, quod crederet sibi forte delapsum e digito, requirere coepit. Tum Aesopus: De annulo non habeo, inquit, quod tibi praeterea indicem, nisi illum domum tibi tuam quasi per ludum ire ereptum. Xantho dictum admiranti narrat Aesopus, quae inter pocula praeteritae noctis gesta sint, quorum prorsus ille oblitus fuerat. Quare rem expendens, quae perfici non posset, angebatur animo, non inveniens quomodo sponsionem everteret. Inque ea sollicio

tudine, curis, haesitatione sua ad Aesopum, cuius monita prius despexerat, cogebatur recurrere, petitum opem et consilium. Ergo illum blandissimo sermone appellans, iubet meminisse, quid sibi benevolentiae fideique pro servitio debeat, promittit etiam de sua memoria valde prolixe. Nec difficulter non immansuetum hominem permovit, ut polliceretur se effecturum, ne sponsione facta teneretur. Nam praestari, inquit, quod spopondisti, neutiquam posse ipse vides, sed ad obligationem dissolvendam, ne ea res tibi detrimento sit, ac gloriam etiam pariat, viam me esse inventurum confido. Iam enim tempus aderit promissa perfici, at tu cave aliquid moeroris aut tristitiae prae te feras. Quin ipse etiam ultro litus maris lectulis et pincernis occupa, cumque multitudo ad spectaculum confluxerit, iube recitari formulam sponsionis, in qua est: Mare epoturum, Ni faciat, domum suam aut minas centum dare spopondit. Quo facto, posce phialam in omnium conspectu aqua marina repletam, eamque manu tenens, sic loquere: Quid effecturum me promiserim, quamque poenam, ni fecissem, mihi ipse dixerim, audivistis Samii, egoque ita rem gestam esse fateor, et hoc ago ut videtis. Ceterum nemo est vestrum, quem fugiat, immensa numero et magnitudine flumina omnibus e terrae partibus in mare influere, quibus prohibitis, ubi mare purum relictum mihi fuerit, paratus sum facere, quod facturum me dixi. Nam de fluminibus ebibendis ipsa sponsionis formula, ut audivistis, nihil mihi imponitur. Quae cum omnia Xanthus sicut edoctus fuerat peregisset, ac-

clamare illi tota multitudo, et non oculis ſolum ac geſtu, ſed etiam convitiis adverſarium petere, iubereque avertere epoturo mare flumina. At is victum ſe ſapientia Xanthi fassus, orare ut irritum eſſet contractum negotium, poenam ſe permiſſurum arbitrio quorumcunqne Xanthus voluiſſet. Ignovit Xanthus ſapientiam ſibi concedenti, eamque ſe humanitate velle accumulare dixit; itaque remittere illi et poenam et poenae arbitrium. Hanc callidam excogitationem Plutarchus Bianti attribuit.

Aliquanto poſt miſit Aeſopum Xanthus ad obſervanda auſpicia. Solebant enim veteres et Graeci et Latini fere res ſuas auſpicato gerere, hoc est, ſpe concepta de eventu, et aliqua notatione volatus, vocisque avium aut aliarum rerum obſervatione. Iuſſerat autem circumſpicere, nunicubi par cornicum incubaret, quod ſi quis dextrum habuiſſet, portendere boni aliquid aiebat. Aeſopus forte conſpicatus par cornicum, ut Xanthus voluerat, propere ad illum renuntiat. Qui egreſſus ut et ipſe contemplaretur, non niſi unam videt, cum interea altera avolaſſet. Quare tanquam irriſus ab Aeſopo, iubet illum verberibus dilacerari: adhucque veſtes illo ponente, advenit qui ad coenam invitaret Xanthum. Tum Aeſopus: Quae poſthac, inquit, aruſpicinae fides erit, cum mihi, cui ex illius praeceptis bonum portendebatur auſpicanti, malum detur, huic, cui debebatur malum, bonum? Quo dicto Xantho mitigato, effugit tum quoque Aeſopus verberationes.

Non diu post, cum Xanthus ad coenam vocaſſet viros ſapientiae laude celebres, Aeſopum

iussit praesidentem foribus, neminem admittere de populo, et ab illo sodalitio alienum. Ille ad ianuam assidens, ut quenque ex iis qui invitati fuerant, ita ut fit, festinantius advenire cernebat: *Quo se modo*, inquit, *canis infert?* Tum ille, qui hoc audierat, ratus se per ignominiam canem increpitatum, discedere iratus, neque introire in aedes. Ita elusis paene omnibus, postremo advenit reliquis unus callidor, et ingenio ac moribus festivioribus. Quem cum Aesopus similiter compellasset, ille: *Quomodo nisi pedibus?* inquit. Is igitur solus introgressus. Cum iam esset diei multum, et convivarum praeterea nemo veniret, valde indignatus Xanthus, postridie cum illis expostulationem accerrimam instituit, derisum se querens. At illi, Insanis, inquiunt, vel tu vel nos, et quomodo accepti essent ab ipsius servo exponunt. Prope astabat Aesopus, et neque accusatione ista, neque minacibus heri oculis perterritus: Ita enim, inquit, feci, ut tu mandaras, de plebeis et alienis a coetu sapientum. Tum Xanthus: Verbero, inquit, stulti igitur hi tibi videntur, quos tu tanquam canes abigere ausus? Minime tanquam canes, Aesopus inquit; sed profecto extra unum illum, qui apud te fuit, sic mediocriter videntur sapere omnes. Quid ita vero, scelus? inquit. Ita vero, quia interrogati, quomodo se canis inferret, nemo eorum intelligere potuit, praeter hunc optimum et doctissimum virum, qui tecum est coenatus, qui, pedibus, mihi respondit. Quid illi facerent Philosophi? fatebantur rem ita se habere, ut Aesopus dixerat, et se parum tum quidem sapientes fuisse.

Post dies sane non paucos, deambulaturus Xanthus inter monimenta, Aesopum, ut consueverat, sequi se iubet. Ac contemplantibus illis inscriptiones, quae Graecis Epitaphia dicuntur, Aesopus animadvertit saxo incisas literas graecas, α, β, δ, ο, ε, ϑ, χ. Quas statim Xantho indicat, et iubet noscere, quid sibi velint. Ille in omnes partes animum ac cogitationem versans, nullam potuit intelligentiam illarum percipere mente sua. Tum Aesopus: Ecquid erit praemii, inquit, si thesaurum hic nunc effodero? Xanthus dimidium inventi auri et libertatem pollicetur. Ibi Aesopus ex eo loco, in quo saxum iis literis, quas diximus, insigne situm erat, digressus passus quatuor, cum non multum terrae eruisset, amphoram plenam aureûm Lydiorum reperit. Qua hero tradita, petit ut fidem suam praestet. Tum Xanthus: Sic demum, inquit, fecero, si tu etiam harum literarum significationem mihi ostenderis, quibus de thesauro certior factus es, quod quidem pluris aestimo, quam aurum. Aesopus nihil cunctatus, illarum sententiam graece exposuit, quae talis est: *Progreditor passus quatuor, fodito, reperies thesaurum auri.* Xanthus cum etiam hoc extudisset, illudens illi: Cum aurum, inquit, scias effodere, non est animus amittere te. Tum ille: Atqui here, inquit, nolo te latere, inventum thesaurum deberi regi Byzantiorum: hunc enim illi tradit sententia earundem literarum: *Redde regi Dionysio, quem reperisti thesaurum auri.* Quo audito Xanthus: dimidium, inquit, auri accipe et tace. Ita, inquit ille, faciam. Quanquam non tu quidem mihi aurum hoc tribuis,

sed qui illud defodit. Hae literae enim sublatum thesaurum iubent dividi. Et possunt quidem, ita ut fecerat Aesopus, ad has omnes sententias literae istae accommodari. Tum Xanthus: Quin imus igitur, inquit, et thesaurum inter nos partimur. Ad domum reversi, cum metueret loquacitatem Aesopi, iubet compedes illi iniici. Qui cum comprehenderetur, ingenti voce exclamare coepit: Haeccine est Philosophica fides? Xanthus motus invidia dicti, solvi illum iubet, et, Comprimendum tibi, inquit, istud tuum vaniloquum os est, si libertatem cupis adipisci. At ego, inquit ille, ne suplicem tibi esse censeas, velis nolis paucos intra dies liber ero.

Atque ita deinceps eas res exponemus, quibus maxime Aesopus laudem est consecutus, nimirum iam manumissus, ubi in lucem prodire, et nobilis esse apud reges et potentissimas civitates coepit. Fieri autem videmus, ut non pauci ingenio et sapientia summa vulgo aut ignoti aut etiam contemti sint, donec vel ipsi fiducia quadam sui, vel fortunae beneficio elati, aliquem altiorem gradum conscenderint, ubi famae claritate quasi illustrari facile possint. Sunt autem illi gradus fere, vel ipsum principem aliquem locum tenere iis in rebus, quas populus admiratur et colit, vel tenentibus carum et acceptum esse, cuiusmodi sunt opes, potentia, regnum. Quae qui consecuti sunt, ad eos omnium oculi convertuntur, propterea quod benefacere multis, et egentibus subvenire, laborantes allevare facile posse videantur. Atque hoc loco venit in mentem diversorum ingeniorum et variae naturae ho-

minum, quorum alii immodica cupiditate gloriae et excellentiae cuiusdam inter alios mortales, honorumque ambitione accensi, nihil non moliuntur ac tentant, quod ad fastigium maximarum rerum, quas sibi proposuerant, pervenire possint.

Contra hos sunt, qui longissime abiiciunt sese, quamque illi lucem splendoremque sequuntur et affectant, tam ipsi fugiunt ac devitant, deque se loquuntur nunquam gloriose aut magnifice, sed modice semper, saepenumero etiam humiliter, concedentesque aliis praestantiam quarumcunque rerum, exilitatem suam fatentur, neque illius pudere se ostendunt.

Medium autem tangere atque tenere, diligentiae et summae rationis est opus: quemadmodum in medium circulum punctum imponere, exercitationis et artis fuerit non mediocris. Sed nunc ad historiam de Aesopo revertamur: qui cum servitutem, in quam fortuna eum coniecerat, magno animo pertulisset, conscius ipse sibi sapientiae suae, neque ultra neque infra debitum modum illam aestimans, occasionem oblatam claritatis et famae nanciscendae non neglexit. Atque ea fuit talis.

Festo die, in maxima Samiorum celebritate advolans aquila rapuit annulum publici signi, isque in sublime auferenti elapsus, in sinum servuli decidit. Quae res terrorem Samiis incussit, visaque est adversi aliquid portendere civitati ac reipublicae. Quare omnibus sapientibus et scientia magnarum rerum celebribus accersitis, inque primis Xantho, petiere ab illis, ut animadverterent eius quod accidisset facti significationem. Fa-

tentibus aliis, coniecturam se nullam invenire, Xanthus postulavit, ut aliquot sibi dierum cogitandi de re maxima spatium daretur. Quo impetrato, solicitus anxiusque domi inter curas perpetuas volutabatur, et desperata explicatione, magnum prae se moerorem et tristitiam ferebat. Aesoppus, sicut ante etiam fecerat, quid illum perturbaret, sciscitari, et suam operam polliceri. Xanthus rem illi exponere, et queri, actum de existimatione sua, quam ut contemnere posset, metuere etiam capiti ab insano et irato populo. Non, inquit, deseram ille te, et ut prius quoque feci, ex hac difficultate, qua nunc teneris, te eripiam. Tu modo sic facito, ut dicam tibi. Ac crastinus opinor dies est vestrae responsioni datus; at tu ita apud populum loquere: Non ignoro cives, solere ad omnium rerum famam in aliis atque aliis diversas opiniones existere, ac fere illas fingi pro uniuscuiusque ingenio et captu. Ita cum aliquem sua sapientia inter homines extulit, ut mihi apud vos aliisque accidit, tum illum quisque eas res scire ac sapere putat, quas ipse forte requirit et nescit. Atqui cives, aliter se res habet; ac sicut aliarum artium certae sunt professiones: ita sapientia quoque non omnium promiscue rerum cognitionem continet, quamquam divinarum et humanarum rerum est scientia, sed una quaedam et ipsa est certae artis professio. An vos arbitramini, sapientem, tonsorem etiam atque cerdonem esse oportere, quoniam istae res sunt humanae? Quid igitur sapientiam vocem, quaeritis cives? Divinitatis ac humanitatis scientiam, quae profecto est ars vitae et

morum. Illa igitur naturas rerum vestigat, coelestium terrenarumque. Illa pietatem, cultum, observationem, usum deorum hominumque tradit, estque veritatis cuiusdam quasi naturalis magistra. Neque igitur ariolos aut vates sapientia efficit, neque vos a nobis huius rei scientiam exigere debetis. Proinde si qua quaestio fuerit nata de diis, deque illorum cultu, de vita et moribus hominum, de aliis naturalibus rebus, nostram operam experimini Samii; nunc quaerite potius qui augurandi disciplinam teneant, cuius quidem, nisi fallor, perquam peritum servulum domi habeo, quod non putavi vos celare me oportere, usque adeo proximo casu perculsos: etsi fortasse parum fuerit decorum vobis, in maxima re a servo admonitos consilioque adiutos esse. Huiusmodi si tu orationem here apud Samios habueris, missum te facient citra contumeliam, seu me volent sive nolent audire. Nam si forte me non respuerint, deque prodigio disserentem laus fuerit secuta, tua profecto illa: sin contra dedecus, proprium hoc meum erit.

Placebat consilium supra modum Xantho: non enim videbat quorsum tenderet. Nec moratus, cum illuxisset, in concionem ascendit, ubi iam diu frequens populus expectabat, et ita ut edoctus fuerat praefatus, servum pro se interpretem prodigii demonstrat. At illum, clamare multitudo, quamprimum accersendum, Xanthumque obiurgare, qui non adduxisset secum. Tum advocatus Aesopus, ubi in forum venit, ad primum conspectum sui maximum risum excitavit omnium. Atque ibi aliquis e turba: Quis hunc,

inquit, divinum esse neget, in quo humani apparet nihil? Alius: An ubi natus esset, stipites loqui consuevissent, quaerebat. At ille in medium progressus, hanc orationem habere instituit: Non debet Samii deformitas oris mei vel mihi a vobis contemtum parere, vel spem a me vobis praecidere. Neque enim formoso nunc usus eget, neque de venustate corporis, sed de animi habitu homines sapientes aestimari solent. Nunquamne inquinato in dolio suavissimum vinum reconditum fuisse, aut ingratum aureo poculo propinari comperistis? Intelligentiam et vim ac perspicaciam mentis requiritis, non virium robur, aut ingens pulcrumve corpus: quale quidem meum minime esse cernitis: verum de animo qui intus latet, nolite quaeso prius sententiam ferre, quam illius interpretem orationem audiveritis. His verbis sedato murmure, cum omnes, ut si quid haberet, in commune proferre vellet, expeterent, tum ille ita locutus fertur: Et vos me hac gratia accersivistis, et ipse ea voluntate adsum. Sed cum cogito, neque me decere servum de tantis rebus in concione verba facere, neque vobis dignum esse auscultare, me insuper in omnem eventum apud herum meum periclitaturum, vestrum fuerit, et consulere meo timori ac verecundiae et conservare dignitatem vestram, mihique libertatem impertire. Nemo erat, quin aequum postulare illum judicaret. Placuit igitur Aesopum publice liberatum manumitti, agiturque cum Xantho, ut quanti sit indicet, iubenturque quaestores pecuniam persolvere. Xanthus cum videret, etiam invito se Aesopum liberum futurum, puderetque

adeo hominem locupletem facere minimi pretii mentionem, aliquam gratiam apud Samios inire statuit; itaque respondit, se Samiis donare Aesopum servum suum, quo pro arbitrio suo respublica uteretur. Quae res valde grata fuit populo Samio, statimque praetor iussus est libertate donatum Aesopum ad civium numerum ascribere, cum praeconium esset factum, populum Samium liberum esse, et civem iubere Aesopum, dono acceptum a Xantho philosopho. Ibi tum Aesopus de prodigio in hunc modum disseruit: Nemo vestrum est, cives, qui nesciat, regiam volucrem esse aquilam. Quare quod aquila raptum signum publicum detulit in sinum servi, ea conditione hominis, ut nihil in se habeat iuris, sed sub alterius prorsus potestate sit, quid aliud portendere velit, quam aliquem potentem regem vestram libertatem eversum esse iturum, et conaturum civitatem vestram subiicere sub potestatem suam. Quo audito magnus Samiorum animos terror invasit, deque statu ac salute communi solliciti, quo evasura esset praedictio, exspectabant.

Neque diu sane post legati a Croeso rege Lydorum affuere, qui postularent, ut Samii regi tributum penderent, quique, si aliter essent animati, illis bellum denunciarent. De ea re cum deliberatum aliquantisper esset, cum maximae partis animi ad pacem et servitutem inclinarent, visum est Aesopum quoque consulere, qui rogatus sententiam, ita locutus fertur: Duas pandit vias fortuna mortalibus in hac vita, cives, unam libertatis, cuius initium est asperum, finis planus: alteram servitutis, qua prima nihil est mollius,

extrema nihil durius. Ad haec Samii cupiditate incensi retinendae libertatis, unanimi voce acclamarunt: Liberi cum ſimus, ſervi noſtra voluntate nunquam ſumus futuri. Ita legati bello indicto diſceſſere. Rex cognita re, Samiorum audaciam valde mirari, et bellum apparare coepit. Vbi vero intellexit, proclives ad imperium accipiendum Samios, unius viri oratione a ſententia deſtitiſſe, illum coram cernere et audire velle, maxime cum legati narrarent, pauciſſimis illum verbis tantam rem effeciſſe. Petit igitur rex a Samiis, ut Aeſopum ſibi tradant; quod ſi fecerint, in praeſentia ſe metu illos belli liberaturum. Cognita re Aeſopus, minime ſibi eſſe contrarium ait, ad regem ſe mitti, prius tamen quam proficiſcatur fabulam, memorare velle: *Quo tempore, inquit, bruta etiam animalia commercio ſermonis utebantur, bellum ingens inter lupos et pecudes eſt exortum. In quo, cum non eſſent inferiores pecudes auxilio adiutae canum, legatis miſſis pacem illis lupi obtulere, ea conditione, ut canes ſibi traderentur. Pecudes cupidae pacis, non intellecta fraude, hacque lege pace facta, et deſtitutae canum praeſidio, lupis praedae direptionique poſtea fuere.* Samii cum viderent quorſum haec tenderent, negarunt ſe illum dimiſſuros eſſe. Sed Aeſopus non paſſus ſe retineri, cum legatis nave conſcenſa Sardis ad regem diſceſſit. Quo viſo per contemtum rex: En, inquit, virum, per quem ſtetit, quo minus Samii in poteſtatem noſtram venirent, ſimulque indignatione et ira incitatus, inimicis illum oculis intueri, et vultu minari malum. Tum Aeſopus

adorato illo pro more gentis: Non traditus, inquit, a civibus meis, neque ulla vi compulſus, ſed ſponte et voluntate mea hic coram te adſum, teque oro rex, ne graveris pauliſper tuas aures orationi meae concedere. *Captabat laqueolis puer curruculas, coepitque forte cicadam, quam cum iamiam eſſet interfecturus, orare illa coepit, ut ſibi parceret: Quem enim, inquit, ego unquam damno affeci, aut quem potui omnino afficere? quae ſoleo homines, ramuſculis arborum et graminum ſloſculis inſidens, cantu meo exhilarare. Quid autem commoditatis poterit tibi morte mea parari? Vox enim in me eſt, neque quicquam praeterea. Commotus adoleſcens miſericordia, emiſit cicadam. Et ego te ſuppliciter adorans rex, obſecro, ne me innocentem extinguas: nihil enim in me eſt praeter ſermonem, quo ad uſum et delectationem hominum uti conſuevi.* Movit regem ſermonis elegantia, ſimul etiam miſertus hominis, vitam illi ſe tribuere ait, et praeterea quidquid a ſe petiiſſet. Tum Aeſopus *Parce*, inquit, *rex civibus meis.* Quod verbis rex Aeſopo promiſit, iuſſitque diplomatis firmari, nec parum haec pietas regi Aeſopum commendavit. Qui reverſus Samum, allato nuntio reconciliationis, tantam laetitiam excitavit, ut ad templa deorum tota urbe ſupplicatum iretur, eſſentque feſtivitatibus plena omnia. Ipſi etiam Aeſopo ſtatua poſita eſt; in cuius baſi, quo merito hic ipſi honor habitus eſſet, perſcriptum legebatur. Quam quidem ſtatuam deletam bellorum temporibus, quibus graviſſime illam inſulam conflictatam legimus, veriſimile eſt. Lyſip-

pus tamen multis saeculis post, sicut septem sapientum, ita Aesopi etiam effigiem aere expressit, ut testatur graecum epigramma, cuius haec est sententia:

*Quam bene adhuc Lysippe tua Sicionis alumne*
*Aesopi effigies cernitur arte, senex?*
*Quae septem ante chorum sapientum iure locata est,*
*Quos etiam ingenio vicerat ille suo:*
*Seria commendans commentis dicta iocosis,*
*Ac homines blando qualibet ore trahens:*
*Cum tristes illi monitus violentaque iussa*
*In populum lingua praecipiente darent.*
*Ergo quod illorum sententia docta nequivit,*
*Hic homines ludens ut saperent docuit.*

Post haec rediit ad Croesum Aesopus, inque illius gratiam composuit eas fabulas, quae adhuc sub ipsius nomine feruntur. Ea tempestate Assyriorum regnum Babylone possidebat Lycerus, sive, ut apud Herodotum legitur, Labynetus, iunctus societate et foedere Croeso, cui et in bello adversum Cyrum postea operam navasse fertur; neque desunt, qui Croesum ab hoc incitatum, cum Cyro bellum suscepisse tradant. Cum autem Aesopus incredibili teneretur desiderio visendi orbis terrarum, et cuperet magnopere Babylona, celeberrimam magnitudine, operibus, copiis, urbem aspicere: petiit a Croeso, ut regi Babyloniorum literis se comendaret. Quo facile impetrato, priusquam illud iter ingrederetur, constituit in Graeciam traiicere, fama invitatus septem sapientum, quae iam ubique gentium clara erat. De quibus haud ab re fuerit,

hoc loco nonnihil memorare. Non convenit inter Graecos scriptores, neque de numero neque de nominibus sapientum istorum. Plures enim alii, alii pauciores quam septem tradidere, nominibusque diversis ab iis quae vulgo nota sunt. Plato septem nominat, et quidem usitatis appellationibus, nisi quod Periandri loco Mysonen Chenensem ponit. Indignum, ut credo, iudicavit illum sapientiae laude, qui in patria tyrannidem occupasset, praesertim cum ipsius scelerata aliquot imprimis facinora prodita essent. Quod vero septem adeo, istisque nominibus illa aetate sapientes habiti fuerint, quaerenti mihi, haec se caussa potissimum offert. Miletus urbs fuit maritima Cariae, colonia Ionum, ubi cum a piscatoribus quidam iactum redemissent, illique cum piscibus auream cortinam extraxissent, orta inter partes controversia fuit, cum non negarent piscatores, quicquid piscium captum esset, redemtoribus deberi; fortuna quod munus addidisset, suum esse oportere. Contra illi, nulla exceptione iactum eos vendidisse aiebant. Si nihil extulissent, iacturam ferendam fuisse: cum fortunae benignitas affulserit, iniustum videri, se lucro fraudari. Videbatur lis, et propter ipsam et quia pretii non erat contemnenda magnitudo, digna esse, quae non negligenter decideretur. Permittitur iudicium Milesiis. Illi cum quid statuerent non invenirent, Apollinem Delphicum, quid iuberet fieri, consulunt. Quem ita respondisse ferunt:

*Incola Mileti! tripodem consultus Apollo*
*Illi dat, cuius vincat sapientia cunctos.*

Quo oraculo allato, nemo dubitavit, quin ab Apolline destinaretur aurum Thaleti Milesio civi, artium et doctrinae facile principi. In tali quippe fama fuit sapientiae Thales, ut si quem Graeci postea unquam praeclare laudare vellent, eum alterum Thalem esse dicerent. Sed non minori gloria Thales reiecit donum, quam ad se delatum fuerat. Neque enim sibi esse tantae sapientiae conscium, ut crederet oraculo sibi aurum adiudicatum: iussitque deferri Prienas in vicinam urbem, ad doctum hominem Biantem. Is eadem usus animi moderatione, aurum in Lacedaemona Chiloni transmisit. Chilo similiter a se ad Solonem ablegavit. Ille in Rhodum ad Cleobulum. A quo tandem ad Pittacum et inde Periandrum pervenit, qui sive ignoratione primum omnium Thaletem non voluisse retinere, sive etiam certo iudicio, ad Thaletem remisit. Thales autem ne receptum quidem servandum duxit, Delphicoque Apollini consecravit, solum Deum, et praemio et opinione summae sapientiae dignum ratus. Verum hac ex re horum septem nomina in maximam celebritatem et admirationem omnium devenere. Scio hanc historiam paulo aliter ab aliis referri, qui vel Soloni consecrationem tripodis adscribant, vel pateram auream pro tripode Thaletem dedicasse velint, adducentes etiam inscriptionem huius fere sententiae:

*Thales potenti me in Nilei populo duci*
*Captum bis hoc virtutis offert praemium.*

Sed mihi receptissimam opinionem narratione exequi placuit. Verum Aesopus, cum in

Graeciam ea cupiditate atque proposito, quod indicatum est, venisset, reperit commodum Corinthi universos, unaque Anacharsiden Scytham, et multos horum sectatores ac discipulos. Invitarat enim hos Periander, sive quodam sapientiae studio incitatus, sive hac via ad gloriam nitens. Nec minus illi libenter Aesopum videre, quam ipse eos petierat, cum iam pridem fama factorum et sapientiae huius in Graecia percrebuisset. Accepti igitur convivio extra urbem in Periandri villa, cum varii, ut fit, sermones inter ipsos sererentur, Periander de regno iniecit mentionem, quod cum sapientibus fere damnaretur, tamquam perniciosum rebus humanis, et inter pestilentes administrationes poneretur, illo Graecorum insito sensu, quo libertatem amplexantes, dominationis quasi iugum detestati fuere: itaque cum in regnum, sive, ut graeca voce dicitur, tyrannidem sapientes inveherentur, non dubitavit Aesopus oratione et sententia sua illis refragari, neque non dictis pungere sapientes, quasi illi superbia animi et insolentia elati, etiam vulgi studium aucupantes, Regibus essent infesti. Neque probare Solonis contemtum regiarum opum Croesi, neque adeo illius sententiam veram esse dicere: *Ante mortem beatum appellari debere neminem.* Non enim, si quid in vita prospere feliciterque cecidisset, indignum videri beatitatis nomine, nec sane infortunium vocandum res secundas, quibus commutatis, et illam rationem beatitudinis tolli, ita ut restitui discessu adversarum. Nihil enim in rebus humanis firmum, certum, fixum, stabile esse. Vt au-

tem sole splendente serenum diem, eodem tecto nubibus, turbinum diceremus, non quidem in perpetuum, sed in praesentia: ita recte et beatum et infelicem unumquemque nuncupandum, pro fortunae statu: nisi quis delectaretur illa argutiola, fortunatos esse in prosperitatibus homines, non beatos. Haec locutum, unus ex sectatoribus sapientum, adolescens Boeotius, praeter aetatis decorum adortus paene contumeliose: Tune, inquit, audebis in hoc coetu sapientiam et virtutem opibus divitiisque postponere? Quod quidem Aesopus, quia minime fecerat, ut illum praepostere exultantem coerceret, hanc fabulam narravit: *Mula Lydia conspecta in fluvio forma sua, placere sibi coepit, et caput iubasque iactare, implerique animo, et cum fremitu ad cursuram sese parare, quasi nullis equis cessura, cum subito inter harum cogitationum superbiam paterni generis recordatur, cuius humilitate perculsa, desiit videri velle quod non esset.* Atque ita illo refutato, sapientes sese quaestionibus mutuis exercere coeperunt, propositumque fuit: Quod omnium maxima cum laude Rex aut Princeps facturus videretur?' Tum Solon: Quid enim inquit, nisi regnum concedens populari administrationi? Cui Aesopus: At tu quin servis et familiae tuae domesticum imperium concedis? Bias: Conservans, inquit, ante omnia morum, institutorum, legumque usum. Etiamne, inquit Aesopus, Indianorum, ubi more gentili et patrio parentes liberi mactant ac epulantur? Thales: Nemo, inquit, Regem laudet, quam si ita viderit regni habenas moderatum, ut ante legitimum tempus nul-

la violentia excussus fuerit. Sic ego, inquit Aesopus, gubernatorem navis rectius laudavero. Anacharsis: Si solus sapiat, inquit. Ergo subditos, inquit Aesopus, dementes omnes esse oportebit. Cleobulus: Nemini fidem habendo. Nosne Aesopus, de foeneratore, inquit, censes quaerere? Pittacus: Si ita, inquit, se erga potestati suae subiectos gerat, ne magis ab illis metuatur quam ametur. Facile, inquit Aesopus, indulgentia hoc efficiet, qua liberi corrumpuntur, ut nulla re magis. Chilon: Si, inquit, a terrenis ad coelestia animum cogitationesque abduxerit. Facere, inquit Aesopus, hoc debebit is, qui in Luna rerum potiri voluerit. Nam hominibus omnibus profecto hoc praecipitur:

*Mortalis es: deos cave ultra animo abeas.*

Quibus sermonibus habitis, omnes a Periandro petiere, ut et ipse suam sententiam exponeret. Qui severo et tristi vultu: Quae dicta sunt de regis laude, eleganter et praeclare dicta sunt, inquit, omnia, etsi non approbante isto, demonstrans Aesopum. Mihi tamen, qui cor habeat rex, hanc maxime laudem secuturus videtur, ut rex esse desinat. Tum Aesopus ridens: Regiam, inquit, laudem exquirentes, de solio deturbatis regem. Etiam hic noster Solon admirabilis, qui mortuos vivis praeposuit, cum mortui nisi cadavera dici nihil possint. Solon delectatus Aesopi dicacitate, demulcens illius manu sua caput, quod infra se in sella accumberet: Tibi igitur absurdum videtur, inquit, factu, sic regem instruere, ut ostendatur, praesta-

re regno carere quam frui? Maxime, inquit Aesopus, et quidem assentiente oraculi responso, quod tibi redditum accepimus:

*Illa beata erit urbs, quae praeconem audiat unum.*

Neque bonus profecto imperator esse, qui victoria carere quam frui malit, neque pastor, quem non iuvet cura pecoris, neque quisquam quicquam recte facere poterit rerum omnium, invitus. His sermonibus ad Croesum postmodum allatis, invenio traditum, perplacuisse sane illi sapientum dicta, sed Aesopum unum praetulisse omnibus. Cumque diceret, omnes sibi esse illos videri mortales eximios, addidisse: *Sed imprimis Phryx*, μᾶλλον δὲ Φρύξ. Quod postea usurpari coeptum est proverbii loco.

In eo convivio dicitur ab hospite breviter quaesitum etiam nonnullis de rebus, de quibus quod sapientes respondissent, acute correxerit Aesopus, quae huiusmodi fere traduntur: *Quid vetustissimum est? Quid, nisi tempus? inquiunt illi. At Aesopus, Imo quid, nisi Deus, qui initio caret? Quid maximum? Mundus. Imo locus, qui ipsum etiam mundum includit. Quid pulcerrimum? Lux. Imo mundus, quo quicquid spectabile est comprehenditur. Quid sapientissimum? Veritas. Imo tempus, quo alia inventa iam sunt, alia posthac invenientur. Quid maxime commune? Mors. Imo spes, quae sola amissis omnibus relinquitur. Quid optimum? Deus. Imo virtus, absque qua non est, quid bonum possis dicere. Quid deterrimum? Mala sors. Imo vitium, quod omnia corrumpit et foedat. Quid validissimum? Fortuna*

*Imo necessitas, quae profecto est invicta. Quid facillimum? Voluptas. Imo quicquid naturale est.* Atque haec inter, cum, sicut fieri assolet, pocula crebriora poscerentur, et sese hilariuscule invitarent sapientes; disputaretque Anacharsis, perfectionem bibendi esse ebrietatem; qui finis et quod ultimum potionum videretur, ita Aesopus illos pungere coepit: *Pastores*, inquit, *mactaverant ovem, et in tuguriolo commessabantur. Lupus, qui ante fores stabat, cum quod fiebat animadvertisset: Ego, inquit, si agnum devorassem, qui motus futuri erant? At isti impune matrem comedunt.* Quo dicto admirationem sui cum quadam iucunditate incredibilem excitavit. Et de hac fama ipsius laus atque nomen in tota Graecia increbuit.

Neque diu post in Asiam Aesopus traiecit, et Babylona, ut dudum instituerat, perrexit proficisci. Quo cum pervenisset, paucos intra dies regi acceptissimus factus est. Illis enim temporibus, cum otia reges agitarent, ipsi sese mutuo quaestiunculis et scirpis propositis exercebant, qui griphi a Graecis et aenigmata vocantur. Quae qui interpretari et dissolvere potuerat, et praemium et laudem referebat. Ea in re valde utilis regi Aesopus inventus est, multumque illi praemiorum et existimationis sapientiae acquisivit acrimonia ingenii sui. Caeterum cum ei fortuna liberos invidisset; ut haberet quo senectutem suam oblectaret atque sustentaret, de regis voluntate adoptavit adolescentem, bono loco natum, sed pauperculum, ingenio non illiberali, ut videbatur. Quem tanquam ex se na-

tus esset, bonis artibus ac praeceptis non destitit instituere, monstrareque et praecipere, quae ingredienda via esset tendenti ad felicitatem et gloriam. Verum sceleſtae et flagitiosae naturae nulla cultura aut studio bonae probaeque efficiuntur, neque illius pravitatem naturalem bonitas disciplinae emendare potuit. Itaque inexpugnabilem perversitatem removendam Aesopus censuit. Quo intellecto ille, ut mali consuevere, facinora facinoribus accumulare aggreditur, utque se ulcisceretur, literas confingit, quasi patre auctore, quibus ille vicinis regibus operam suam polliceretur contra Lycerum. Quas literas ad regem defert, patremque accusat proditionis, praefatus quidem, quanto cum animi dolore faciat. Neque enim se tam inhumanum esse, ut, quid patribus a liberis reverentiae et pudoris debeatur, ignoret, sed profecto regis patriaeque curam obscurare et repellere illa omnia. Rex nihil suspicans sceleris subesse, calumniantem ita audivit, quasi vera afferentem, inductum studio sui. Itaque re inexplorata Aesopum statim iubet necari. Quibus id negotii datum erat, quod perspectum ad illud usque tempus Aesopi innocentiam haberent, et regii animi impotentiam nossent, Aesopum abductum recondunt, relato nuntio ad regem, illum esse interfectum. Paucis interpositis diebus ab Amaside rege Aegypti Lycero literae afferuntur, quibus ab eo peteret, mitti sibi architectum, qui turrim intra terram et coelum extruere, atque una, qui ad omnia interrogata respondere sciret. Lycerus inops consilii, in re sibi omnibusque qui

Babylone essent inexplicabili, cum iam etiam ira in Aesopum tempore non nihil resedisset, ingenti cum dolore requirere illum coepit; neque non saepe profiteri, illius se vitam, si fieri posset, regni sui parte redimere cupere. Quo audito, qui illum, ut dictum est, absconderant, Regi vivere indicant, iussique adducunt sentum squaloreque obsitum. Aesopus ubi ante regem constitit, egregia oratione declaravit innocentiam suam regi, facileque diluit obiectum crimen. Ibi rex ira percitus, accusatorem ipsius per summos cruciatus iubet interimi. Verum Aesopus impetrata vita illius, ad se recipere etiam non dubitavit, non posse tantam esse humani animi improbitatem ratus, quae tanto beneficio non flecteretur ac emendaretur. Sperabat igitur, postea se ex animi sui sententia filium habiturum. Herodotus Θαλείᾳ hanc historiam de Cambyse Cyri filio et Croeso memorat. Et recepto Croeso, quem interfectum crediderat, non parum quidem delectatum Cambysem fuisse, eos tamen, quibus trucidandi illum mandata dederat, ut qui dicto regio non obtemperassent, iussisse occidi. Aesopus lectis Aegyptii literis rescribi iubet, vere primo in Aegypto qui peterentur futuros. Ipse filium reduxit ad sese domum, utque ante quoque fecerat, non destitit optime illi et sanctissime praecipere, ut ex capitibus illarum praeceptionum, quae subiecimus, liquet. Quae nos excerpsimus, profutura legentibus ad institutionem, ad virtutem et decus vitae. Sunt autem haec:

*Deum cum cura magna et reverentia colito,*

*animi et mentis sincera integritate, non simulatione et specie sacrorum. Neque arbitrare, divinum numen commentum esse, quo ferocia ingenia indoctorum hominum quasi puerorum terreantur, sed discito, illud praesens, forte, efficax, verum, potensque esse omnium ubicunque rerum.*

*Cave spem tibi facias inanem, posse illud te quicquam celare. Neque enim perinde Deum fallere licet ut homines, cuius oculus cernit notatque omnia, ut Hesiodus dixit:* πάντα ἰδὼν διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας. *Neque tam late se super universa solis fulgor expandit, qui ut Homerus cecinit,* πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει, *nihil non auditque et videt, quam certo divinus aspectus cuncta complectitur. Quare fac scelerum etiam occultissimorum te pudeat, iuvetque culpa vacare in re etiam ignota omnibus mortalibus: quodque praecipitur rectissime:*

*Reverere rebus semper in tuis Deum.*

*Nam profecto ex hoc fructum percipies eum, qui memoratur:*

*Ita quod ages abire non poterit male.*

*Parentibus tuis eum honorem exhibeas, qualem a tuis liberis exspectas. Ita enim natura comparatum esse scito, ut qualem quisque erga parentes se gesserit, tales ipse liberos erga se suos experiatur.*

*His observatis, da operam, ut pro viribus ac facultatibus tuis omnibus hominibus inservias, utque si benefacere non multum possis, ne saltem malefacias. Verum primas beneficentiae et voluntatis tuae partes ii teneant, quos natura tecum arctissime copulavit.*

*Non modo annitere, ut in factis absit impuritas et peccatum, sed etiam ut in dictis. Neque enim scelerate facere turpe solum est, sed etiam loqui.*

*Rationis dictata, quibus ad virtutem instruimur, sequere, refrenaque appetitus, ne quo ad vitia te seducant.*

*Tam diu velis discere, quam diu ignoratione senties te implicitum: proque lucro magis habeas praeceptorum bonorum accessionem quam pecuniae.*

*Scito accidere hominibus solere, quod tenellis arboribus videmus. Nam si feliciter enatis non defuerit cultura, ad frugiferam granditatem excrescunt, neglectae vero perperam corroborantur. Et pueritia si ad honestatem educatur, illos fert pulcerrimos fructus actionum laudabilium et decoris. Homines enim, quibus quidem humanam mentem et rationem indidit Deus, si excolantur artium et honestatis praeceptionibus, evadant in quasdam mansuetissimas et divinas animantes: contra vero neglecti aut male instituti in ignavissimas aut etiam immanissimas bestias.*

*Discere fac velis, in eo enim omnia sunt. Neque quicquam est boni, quod inviolatum permaneat, praeter sapientiam et virtutem. Quae vero studio et labore consecutus es, fac usu et exercitatione recondas, ut durent. Aeque enim est reprehendendum, nihil didicisse, et parta studio ac industria, amisisse negligentia et vecordia.*

*Noli existimare, semper esse cum oris tristitia coniunctam sapientiam. Et facit quidem severos sapientia, inhumanos non facit.*

*Quaeris fortasse, quid virtus sit? Scito igitur nihil esse aliud, quam abesse ab iis rebus, quibus teneri deforme sit: ira, invidia, fastu, odio, luxu, libidine, avaritia, moerore, laetitia.*

*Cave fidem fallas. Mentiri, sacrilegium puta. Linguam doma. Nunquam loquaces et garruli sunt veritatis et honesti amatores. Et profecto habet se res ita ut dicitur, multitudini verborum levitatem subesse.*

*Consuetudinem et familiaritatem bonorum colito. Nihil enim hac sententia est verius:*

*Virtutem tradet tibi consuetudo bonorum,*
*Fac sectere bonos qui bonus esse cupis.*
*Quod si te fortuna malis involverit, ante*
*Si quid erit mentis, scito periisse bonae.*

*Nam sicut polypus colorem loci, cui adhaesit, refert, ita eos mores quisque induit, quales sunt illorum, quibuscum familiariter vivit.*

*Perniciosa est oratio et sententia vulgi: in pravitate quidem turpitudinem inesse, sed coniunctam cum commodis. Itemque probitatem laudari, verum molestam esse et inopem. Nam profecto nihil est, quod utilius sit tendenti ad honores, gloriam, potentiam, quam opinio virtutis et iustitiae. Quare tu ita statuas, habeasque persuasum inprimis, virtutem et iustitiam non solum speciosiorem et laudatiorem, sed utiliorem quoque esse, quam calliditas et malitia sit.*

*Cave inseras te alienis negotiis. Quietem ama. Curiositatem et inquisitionem in res et facta aliorum devita.*

*Bene regitur non civitas modo, sed etiam domus, ubi pluris fit otium et quies, quam petu-*

*lantia et diffidium, iuftitia quam iniquitas, fuum tenere quam aliena rapere.*

*Si quod de aliis in bonam partem praedices nihil eft, in malam etiam fermoni parcito: calumniisque non folum linguam, fed ne aures quidem imperti. Nam magnopere fugiendum hoc vitium est, quo quidem duo funt, qui unum iniuria damnoque afficiunt. Qui enim calumnias alteri ftruit, illum profecto fcelerate laedit, quem a tergo et non praefentem vituperat. Qui aufcultat, item illum laedit, quia delectatur inclementibus dictis in abfentem, ignarus veritatis. Ita in unius miferi, et quidem infcientis, perniciem duplex confentit et quafi coniurat pravitas.*

*Tu fac animo tuo honefta et laudabilia confilia capias, bonum eventum quaere petitoque a Deo.*

*Memento rerum omnium effe viciffitudinem, ne te aut adverfi cafus nimium affligant, aut efferant res fecundae.*

*Rationis ufu nihil prius aut potius habeto. Neque enim quicquam pretiofius in maxima vilitate inveneri poffit, quam mens eft in humano corpore.*

*Tria funt, quorum te poenitere nunquam debebit: Si mane ad opus furrexifti. Si quid bonarum didicifti rerum. Si bonis operam navafti.*

*Luxuriam et helluationes fugito, inque primis ebrietatem. Neque enim tantum fenectus bis pueros, ut dicitur, facit, fed etiam et multo quidem magis vinum. Nec parum recte ebrium comparaveris equo ruptis habenis incerto curfu erranti. Submerfa enim ratione et mente, nihil poteft*

*nisi indecens vesanumque in dictis ac factis existere.*

*Superbiam cohibeto, neque minus cave ne deficiaris animo, in qua humilitate multi ipsi se immerito infelicitatis condemnavere. Satius esse puta in movendis rebus quam gerendis properare.*

*Occasiones observa. Quidquid suo tempore non fit, reprehendendum est.*

*Reges principesque ac magistratus omni veneratione colito. His enim status rerum humanarum salvis durat, qui poenas infligant sontibus, tueantur innocentes.*

His et horum similibus optimis praeceptis Aesopus non cessabat filium suum quotidie instruere. At ille non modo non melior inde fiebat, sed multo etiam deterior. Nulla autem hoc efficere ratio aut doctrina potest, ut expertes omnis bonitatis naturae et ingenii perducat ad decus, mansuetudinem, humanitatem, aut artibus erudiat. Vereque dixit ille apud Euripidem: *Nullam esse inventam scientiam, cum innumerabiles exstarent, quae hoc efficere posset, ut saperent, quibus mens non inesset. Quemadmodum enim, si cum aceto suavissimum vinum confundas, acescit hoc statim, et amittit dulcedinem suam: ita perversae naturae, quicquid bonorum praeceptorum accepere, statim corrumpunt, inque similem sui sensum convertunt.* Viderunt hoc sapientissimi philosophi Pythagorici, quorum inter alia hoc quoque fertur: *Cibum in matellam non reponendum.* Id certe significat, bona et salutaria praecepta virtutis non committenda improbis.

Iam ver appropinquabat: at Aesopus accingebatur ad turris aedificationem in aëre, ut Aegyptius postularat. Et est quidem admodum futile, quod hoc loco memorari comperio: mansuefactis aquilis illum appendisse arculas, in quibus pueri cum fabrilibus instrumentis collocati, a subvolantibus aquilis in sublime ferrentur, atque ita, cum in Aegyptum pervenisset, indicasse, si administri lapidum ac materiae designarentur, adesse qui petitam turrim extruerent, atque ita constituto in loco et tempore emisisse aquilas: quibus altum petentibus, prospexisse pueros, et lapides et materiam clamasse. Tum quidem Amasidem admiratum, de Aesopo quaesiisse adiiciunt, num Babylone homines volatici reperirentur. Cui ille responderit: Lyceri subditorum hanc minimam esse laudem. Haec, ut dixi, quamvis inepta viderentur, placuit tamen perstringere. Sed ubi est, inquit Amasis, ille, qui ad interrogata respondeat? Non longe abest, inquit Aesopus. Accersiverat autem rex undique omnes sapientia claros. Ubi igitur consedere, quaesivit unus, plus ne esset vivorum an mortuorum? Tum Aesopus: Vivorum, inquit, mortui enim nihil sunt. At alius: In marine an terra maiora animalia degerent? In terra, inquit ille. Namque huius mare est portio. Ibi alius: Dic mihi, inquit, animantium omnium quodnam tibi callidissimum videtur? Quod adhuc ignotum, inquit ille, hominum industriam evasit. Tum alius: Prior ne dies fuit an nox? Dies, inquit Aesopus, prior, uno quidem die. Tum alius etiam: Viginti, inquit, plaustra ligni quan-

tum fumi possunt emittere? Facile id quidem, inquit ille, dictu est. Nam si cineres de combustis lignis subtraxeris, quicquid reliquum fuerit, pro fumo ponendum. Atque his dictis addidit, quaestionum intricatarum similes responsiones esse debere. Tum alii admissi fuere. Quorum unus: Saepe, inquit, audivi, nihil ferro esse robustius, quo quidem omnia labefieri possent: sed mihi in mentem venit, fabrum robustiorem esse, qui ferrum subigeret et excuderet. Quid vero tu censes? Egone, inquit ille? fabri etiam matrem rubustiorem putandam, quae quidem domitorem ferri gestaverit. Post hunc alius aenigma versibus proposuit in talem modum:

*Res una in pelago et telluris in omnibus oris*
*Nascitur, ac oriens est maxima deficiensque,*
*In medio vitae nimium quam parva vigore.*

Aesopus statim subiecit:

*Mane cadit crescens et vespere grandior umbra.*

Atque ibi alius nominare iussit animalia, quae in coelo, terra, marique eadem invenirentur? Aesopus nihil cunctatus, canem, corvum, serpentemque, nominavit. Nam et canes et serpentes et corvi sunt in mari quoque, et inter sidera notantur. Tum aenigma alius aliud versibus tale obiecit:

*Est genitor natos qui bis sex procreat unus,*
*Quorum sunt etiam natae unicuique triginta,*
*Albae aliae, nigraeque aliae, quae morte carentes*
*Perpetua vice delentur pereuntque ruina.*

Aesopus et ipse versu respondit:

*Mensem annus edit, ille noctes et dies.*

Ibi mox alius:

*Sunt geminae (inquit) inter se iunctissima turba sorores,*

*Altera nec tamen alterius vultum aspicit unquam,*

*Haecque illam genuit postquam, hanc parit illa vicissim.*

Ad haec respondit Aesopus:

*Patris hae profecto neptes sunt, prius qui dictus est.*

Tum alius:

Quid, inquit, iuventa aetate fixum graveque est, senecta tam leve, ut supra etiam terram volitet? Aesopus respondit, floccos esse evanidorum florum. Mox alius coniiciendum Aesopo, quid significarent versus qui sequuntur, proposuit:

*Frigore degredior, redeunte calore revertor,*

*Desero quod peperi, hoc tamen educat altera mater.*

*Quid tibi vis aliud dicam? me vox mea prodit.*

Cui Aesopus:

*Exemplum cuculus pravorum dicitur a te.*

Alius tum deinde haec proposuit:

*Non habeo nec habere velim, quod si tamen assit*

*Non caream, Croesi si mihi dentur opes.*

Ad haec ille:

*Uno oculo haud velles, multo caecus minus esse.*

Alius quaesivit:

*Quid est quod evenire sibi cuncti expetunt,*

*Si nunc tamen detur parandi copia,*

*Nemo asse mercetur sibi in praesentia.*

Quod ita Aesopus explicuit:

*Effici senes avemus, facti ubi sumus piget.*

Alius rursum proposuit:

*Exigua me condo domo semperque patente,*
*Non metuo fures, aliis sed furta timori*
*Sunt mea, tota mihi nam furto degitur aetas.*
*Nomen scire cupis? numeri tres dant mihi nomen;*
*Quadraginta horum est centum et bis summa quaterque.*

Aesopus murem significare dixit. Haec autem intelligendum, graeco sermone pronunciata fuisse; et μῦς Graecis habet, μ. 40. υ. 400. σ. 200.

Alius item hoc:

*Nec sum, nec non sum, morior simul atque renascor.*
*Praebet et interitus tenerae primordia vitae;*
*Sumque mihi leti et redeuntis originis auctor.*

Aesopus statim *phoenicem* avem esse dixit. Post hos et huiusmodi alios multos sermones, fateri coactus Amasis, se suosque Aesopi sapientia victos, atque deberi praemia et laudationes Lycero, Aesopum cum ingenti gloria ad Lycerum remisit. Atque ille, cum Babylone aliquandiu fuisset, magna coepit incendi cupiditate revisendae Graeciae. Requirebat enim animo suo doctissimorum hominum consuetudinem, qua quondam ibi esset usus, et gentis humanitate et mansuetudine invitabatur. Quare impetrata a Rege copia proficiscendi, ea tamen lege, ut Babylonem primo quoque tempore repeteret, traiecit in Graeciam, civitatesque illius gratissimo itinere pertransiens, quicquid ubique audierat doctorum et sapientum esse, ad eos se conferebat, talemque se praebebat, qui singularem relinqueret omnibus sapientiae suae opinionem.

Peragrata autem paene universa Graecia, venit et Delphos, sive ut oraculum consuleret, sive ratus illos quasi familiares Dei, reliquis facile anteire sapientia. Erat autem illius loci per fama vetus, quae iam totum ferme orbem terrarum pervaserat, veritate et certissima fide praedictionum et fatorum celebris, quae Apollo canere putabatur. Itaque hoc potissimum Croesus, qui paulo post haec tempora bellum Cyro intulit, traditur usus, cum quidem prius periculum ipsius fecisset, ut scribit Herodotus, prorsus ridiculum. Nam quos legarat ad consulendum Deum, iis horam diemque qua interrogarent, praefinierat; erat autem mandata interrogatio: Quid rex Croesus tum rerum ageret? Ipse vero illo tempore in regiam se abdens, aheno contecto impositas carnes agni et testudinis coquebat. Ibi ferunt sacerdotem Apollinis haec respondisse Lydis:

*Ast ego littoribus sparsae numerum scio arenae,*
*Mensuramque maris, vocemque intelligo muti.*
*Audio dicentem nihil. Et nunc tangor odore*
*Cortice munitae dura testudinis, agni*
*Inter quae carnes in operto ebullit aheno*
*Aes ubi adimposito substrato amicitur ab aere.*

Tanta igitur de fama, insignes pietate et sapientia Delphos esse, ille arbitrabatur. Caeterum cum illo advenisset, secus rem habere se comperit. Nam et superbos et lucri cupidos, et contemtores eos cognovit. Quod quidem ipse aegre ferens, illorum vitia tali similitudine notavit: *Ut sarmenta, quae in mari procul fluitarent, et stantibus in litore speciem aliquam non*

*contemnendae rei praeberent, at ubi appropinquassent, tum proderent futilitatem suam: ita Delphos quidem absentibus quantivis pretii videri, sibi vero, qui ad ipsos accessisset, diversum esse compertum.*" His sermonibus mirum in modum Delphorum principes offendebantur, incensi indignatione et ira, simul etiam metuentes, ne apud exteros Aesopi insectationibus existimatio sua deteretur. Quare constituêre e medio tollere, et vita illum privare, se liberare cura. Sed quia occulte se illum necare non facile posse intelligebant, et quod contumeliosa morte afficere cuperent, ut iure hoc facere viderentur; submisere, qui paranti abitionem in sarcinas pateram auream implicaret. Quo facto, illum ignarum omnium, et iam oppidum egressum, deque monte descendentem, Delphorum lictores consecuti, ut sacrilegum arripiunt, et in oppidum retrahunt. Neganteque illo, et insanire eos dicente, sarcinae discinduntur inque iis inventa patera populo ostenditur, ipse inter defensiones suas in carcerem compingitur. Postero die productus, post accuratam refutationem obiecti criminis, nihilo secius sententia capitis condemnatur, poena constituta, ut de saxo praecipitetur. Aesopus magnopere ab illis contendit, dicentem pro se tamen ut audire vellent. Quo concesso, hanc illis fabulam narravit: *Mus ranam invitarat, cumque illam in penum repletum vario genere escarum introduxisset: Mi ranuncule, inquit, pascere hilariter, et exple te praesentibus bonis: nihil enim arbitror te desideraturum omnium, quae gulae apta habeantur. Rana in-*

*videns tantam felicitatem muri, quem videret in delitiis summis quotidie vivere, cum ipsa in limo tabesceret, cupiens illum perdere, gratum simulat animum verbis, muremque vicissim ad sese invitat; sed non, inquit, pari apparatu te excipiam, nostras tamen etiam opes qualescunque volo spectes. Caeterum, quia tibi in aquis versari insuetum est; ne quo aberres, filo tuum meumque calcem alligabo, atque ita domum nostram deducam. Placebat consilium stolido, adque ranam annectebatur. Quae in paludem desiliens, et profundum petens, illum miserum et sero sapientem sub undas periturum una trahebat. Qui cum cerneret se suffocandum: Ego, quidem, inquit, tam indignam mortem ulcisci non potero, hoc tamen scio, ultore me non cariturum. Rana eo sermone nihil movebatur. Post breve tempus supra aquas murem natantem milvius videt, quem dum in cibum sibi aufert, pendentem inde etiam ranam attrahit, et vivum* post murem dilaniat. Atque ego*, inquit Aesopus, *quomodo ulcisci me possim non video, sed hoc scio, non futuram mortem meam inultam.* Nihil movebantur Delphi his sermonibus, lictorique ut iussa peragat, imperant. Ibi Aesopus elapsus de manibus illorum, in aram, quae prope posita erat, confugit, sperans se religione loci defensum iri. Sed ne sic quidem Delphi inceptum persequi destitere, negantes perfugium deorum posse habere eum, qui illorum fana compilasset. Tum Aesopus hanc illis fabulam narravit: *Lepus aquilam fugiens, forte ad cespitem defertur, ubi scarabeus incubabat; eum ut servaret miserum et inopem orat.*

*Scarabeus procedit ad aquilam, utque supplici sibi lepori parcat, obtestatur per Iovem deosque omnes, monetque ut provideat, ne contemtu suae exiguitatis propriaque superbia, in aliquod inopinatum malum ruat. Nihil aquilae his sermonibus magis ridiculum fieri potuisse visum, itaque alae unius flabris refutato scarabeo, leporem aufert ac dilaniat. Tulit eam despectionem sui et aquilae ferocitatem perindigne scarabeus, et tota mente in vindictae curam incubuit. Cumque secutus avolantem aquilam, quo loco illa nidum fixisset, ipsumque plenum ovis cognovisset, operitur dum ad pastum aquila de nido avolaret; tum omni vi ipse interea annitens, ova de nido devolvit, quae per altissimas rupes delabentia, facile comminuuntur. Reversa aquila, detrimentoque ac damno cognito, ignara quo autore accepisset, in multo magis arduis rupibus nidificat, sed simili eventu. Itaque inops consilii, ad summum Iovem, cui quasi armigera esset conciliata, subvolat, queriturque calamitatem suam, et auxilium implorat. At tu, inquit ille, in gremio meo ova parito et componito, quo quidem in loco, ut opinor, tuta erunt. Observabat scarabeus sedulo hostem, simul ut e dolore illius voluptatem caperet, simul ut quid ageret specularetur. Adversus igitur hunc receptum Iovis tale machinatur. Pilam luto stercoreque conglobatam, quantam sustinere potuerat, superne in gremium Iovis deiicit. Iupiter offensus foetore et sordibus, festinat e gremio sterquilinium excutere, ita simul ova laxata veste provolvuntur. Aderat aquila, doloreque et desperatione, si neque in Iovis genibus tuto ova deponere lice-*

*ret, exanimata, videbatur omnem spem propagandi generis sui abiectura. At Iupiter mirari, et aliquod insigne esse scelus dicere, quod illam exagitaret. Ibi suppliciter ad pedes Iovis scarabeus provolitans, et leporis suamque iniuriam questus, contemtus ipsorum deorum atque adeo summi Iovis aquilam accusavit. Iupiter re cognita damnavit quamvis dilectam sibi avem. Ne tamen genus ipsius deleretur; cum iustas inimicitias et bellum gerere scarabeum censeret, statuit, ut aquila eo anni tempore, quo scarabei cernerentur, nunquam ova pareret, pullosve educeret. Neque vos*, inquit, *aram profanate, Deosque veremini, vindices scelerum.* Vix finierat, cum illum iussu magistratus lictores ab ara crudeliter abripiunt, inque rupem, unde deiiceretur, deducunt. Aesopus cernens, neque in sua innocentia neque Deorum perfugio se opem invenire, sibique haud dubie moriendum, fraude et vi circumvento, priusquam deturbaretur de saxo, fabula huiusmodi in illos est invectus: *Rusticus in agro consenuerat, neque unquam viderat urbem. Qui sentiens se morti proximum, suos oravit, ut in urbem, antequam vitam finiret, curarent se deportandum. Illi non magnopere de sene soliciti, asinos ad plaustrum adiungunt, quo in urbem veheretur. Erat illis via trita in urbem et nota; sed forte dum in itinere essent, tempestas ventique coorti depulerunt a via asinos, qui illa caligine in praecipitia deferuntur. Ibi rusticus videns quo in loco res esset: Me miserum, inquit, si violenter pereundum mihi omnino fuit, quod non perdunt me aliquae generosae animantes, ac potius igna-*

*vilissima asini bestia.* Ita, utinam, inquit Aesopus, cum pereundum esse videam, perirem quidem, sed non perderet me tam futilis et ab omni bonitate aliena hominum natio. Nunc vero, quod reliquum est, Deos oro, ne innocentis indignam necem inultam esse patiantur, utque ostendant vindicta et animadversione sua, facta scelerata et facinora mala sibi non placere: id quod futurum esse mihi plane persuadeo. Haec locutum et insuper parantem alia dicere, irruentes Delphi, de rupe, ubi Diphriadum petrarum nomen fuisse monti traditur, deturbant, atque ille praeceps delatus, fracta cervice interiit.

Non longo tempore post haec, Delphi omni genere calamitatum opprimebantur, grassante in illos cum pestilentia tum fame, et omnibus iis malis, quibus homines ac bestiae atque etiam sata et arbores affligi interimique solent. Quapropter facti illos vehementer poenitere, sed sero, et afficere summus dolor, quem capiebant ob perpetratum, irae et odii impulsione et impotentia animi, nefarium facinus; utque solent homines leves ac imperiti, quam cupidi fuerant mortis Aesopi, et ad interficiendum eum festinarant, tam vitam illius interemti expetere, et si fieri posset, in hanc ipsum quocunque modo revocare velle. Fertur et hoc, obversatam fuisse Delphis terribilem quandam veluti manium Aesopi speciem, qua dies atque noctes exagitarentur, conscientia scelerum hanc imaginem sibi fingente, vel etiam divinitus illa excitata. Ex eo autem fama sparsa fuit, Aesopum revixisse, atque hunc a Diis immortalibus honorem

habitum ſapientiae et pietati illius, quod et de Hercule et Glauco et Alceſtide fabulae tradidere. Sed Delphi cum diutius in Deorum atque hominum odio, quod coelum terramque infeſtam haberent, durare ſe poſſe non confiderent, Apollinem familiare ſibi numen, interrogarunt, quid ſe, ut tantis et tam intolerabilibus miſeriis liberari poſſent, facere oporteret? Quibus ille reſpondit: Luendum eſſe innocentis ſanguinem et poenas dandas impii parricidii. Atque tum, ut diximus, Iadmon Samius has nomine Aeſopi tandem expetivit, et Delphis melius eſt factum.

Atque haec ſunt, quae paſſim de Aeſopo tradita reperimus, et referenda putavimus, rati neque utilitate lectionis expertia futura, et iucunditatem nonnullam habitura eſſe. Sane fabulae, quas Aeſopus compoſuiſſe exiſtimaretur, magno ſemper in pretio et admiratione apud ſapientes homines fuere. Itaque legimus, ſcribitque hoc Plato, Socratem, qui ſapientiſſimus habitus fuit, coepiſſe illas verſibus exponere. Quorum quidem primi hi fuiſſe perhibentur:

*Aeſopus cives fertur monuiſſe Corinthi,*
*Ne decus e vulgi calliditate probent.*

Non autem dubium eſt, quin nequaquam omnium illarum, quae ſub ipſius nomine circumferuntur, autor ſit Aeſopus, et quin poſteriores, ſecuti Aeſopum, multas earum conſcripſerint. Neque eſt obſcurum, omnes huius generis fabulas Aeſopicas appellari, de qua re alibi copioſius diſſeruimus.

# Eiusdem Camerarii

## pronuntiatum de Fabulae Aesopiae miro artificio.

*(Fabulae Aesop. ex edit. Lipsiensi a 1570. 8. pag. 151.)*

Hoc videmur affirmare posse, nos comperisse, eum qui Aesopicam fabulam mediocri orationis elegantia et perspicuitate, nec non sententiarum convenientia narrare potuerit, bonam spem de omni reliqua eruditione concipere debere. Id usque adeo verum est, ut etiam doctissimi viri in hac parte neque dubitent se frequenter exercere, et saepe ipsi sibi minime satisfaciant: ut quamvis haec sint quaedam eloquentiae exordia, tamen ad illa ipsa perfectio huius recurrat atque revolvatur.

# Phaedri

## Fabularum Aeſopiarum

## Liber Primus.

### *PROLOGUS.*

AESOPUS auctor quam materiam reperit,
Hanc ego polivi verſibus ſenariis.
Duplex libelli dos eſt; quod riſum movet,
Et quod prudenti vitam conſilio monet.
Calumniari ſi quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae:
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

### *FAB. I.*

*Lupus et Agnus.*

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant
Siti compulſi: ſuperior ſtabat lupus,
Longeque inferior agnus: tunc fauce improba
Latro incitatus iurgii cauſam intulit.
Cur, inquit, turbulentam feciſti mihi

Iſtam bibenti? Laniger contra, timens:
Qui poſſum, quaeſo, facere, quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes male, ait, dixiſti mihi.
Reſpondit agnus: equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat iniuſta nece.
Haec propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

## *FAB. II.*

### *Ranae regem petentes.*

Athenae quum florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miſcuit,
Frenumque ſolvit priſtinum licentia.
Hinc conſpiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus.
Cum triſtem ſervitutem flerent Attici:
Non quia crudelis ille; ſed quoniam grave
Omne inſuetis onus, et coepiſſent queri:
Aeſopus talem tum fabellam retulit.
Ranae, vagantes liberis paludibus,
Clamore magno regem petiere a Iove,
Qui diſſolutos mores vi compeſceret.
Pater deorum riſit, atque illis dedit
Parvum tigillum, miſſum quod ſubito vadi
Motu ſonoque terruit pavidum genus.
Hoc merſum limo cum iaceret diutius,
Forte una tacite profert e ſtagno caput,
Et, explorato rege, cunctas evocat.

Illae, timore poſito, certatim adnatant,
Lignumque ſupra turba petulans inſilit.
Quod cum inquinaſſent omni contumelia,
Alium rogantes regem miſere ad Iovem,
Inutilis quoniam eſſet, qui fuerat datus.
Tum miſit illis hydrum, qui dente aſpero
Corripere coepit ſingulas: fruſtra necem
Fugitant inertes, vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
Adflictis ut ſuccurrat. Tunc contra deus,
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait,
Hoc ſuſtinete, maius ne veniat malum.

## *F A B. III.*

### *Graculus ſuperbus et Pavo.*

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Aeſopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani graculus ſuperbia
Pennas, pavoni quae deciderant, ſuſtulit,
Seque exornavit: deinde, contemnens ſuos,
Formoſo ſe pavonum immiſcuit gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque roſtris. Male mulcatus graculus
Redire moerens coepit ad proprium genus:
A quo repulſus triſtem ſuſtinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius deſpexerat:
Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,
Et, quod natura dederat, voluiſſes pati,
Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

## FAB. IV.

*Canis per fluvium carnem ferens.*

Amittit merito proprium, qui alienum appetit,
Canis per flumen carnem dum ferret, natans
Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum,
Aliamque praedam ab alio ferri putans,
Eripere voluit. Verum decepta aviditas
Et, quem tenebat ore, dimiſit cibum,
Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

## FAB. V.

*Vacca et Capella, Ovis et Leo.*

Nunquam eſt fidelis cum potente ſocietas.
Teſtatur haec fabella propoſitum meum.
Vacca et capella, et patiens ovis iniuriae
Socii fuere cum leone in ſaltibus.
Hi quum cepiſſent cervum vaſti corporis,
Sic eſt locutus, partibus factis, leo:
Ego primam tollo, nominor quia leo;
Secundam, quia ſum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me ſequetur tertia:
Malo adficietur, ſi quis quartam tetigerit.
Sic totam praedam ſola improbitas abſtulit.

## FAB. VI.

*Ranae ad Solem.*

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aeſopus, et continuo narrare incipit.
Uxorem quondam Solem velle ducere

Clamorem ranae ſuſtulere ad ſidera,
Convicio permotus quaerit Iupiter
Cauſam querelae: quaedam tum ſtagni incola,
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miſeras arida ſede emori;
Quidnam futurum eſt, ſi crearit liberos?

## F A B. VII.

### *Vulpis ad Perſonam tragicam.*

Perſonam tragicam forte vulpis viderat:
O quanta ſpecies, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum eſt, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, ſenſum communem abſtulit.

## F A B. VIII.

### *Lupus et Gruis.*

Qui pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat: primum quoniam indignos adiuvat,
Impune abire deinde quia iam non poteſt.
Os devoratum fauce cum haereret lupi,
Magno dolore victus, coepit ſingulos
Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem perſuaſa eſt iureiurando gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculoſam fecit medicinam lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret praemium;
Ingrata es, inquit, ore quae noſtro caput
Incolume abſtuleris, et mercedem poſtulas.

## FAB. IX.

### *Paſſer et Lepus.*

Sibi non cavere, et aliis conſilium dare,
Stultum eſſe, paucis oſtendamus verſibus.
Oppreſſum ab aquila, fletus edentem graves,
Leporem obiurgabat paſſer. Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa eſt? quid ita ceſſarunt pedes?
Dum loquitur, ipſum accipiter nec opinum rapit,
Queſtuque vano clamitantem interficit.
Lepus ſemianimus, mortis in ſolatio:
Qui modo ſecurus noſtra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

## FAB. X.

### *Lupus et Vulpis iudice Simio.*

Quicunque turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem.
Hoc atteſtatur brevis Aeſopi fabula.
Lupus arguebat vulpem furti crimine:
Negabat illa, ſe eſſe culpae proximam.
Tunc iudex inter illos ſedit ſimius.
Uterque cauſam cum peroraſſent ſuam,
Dixiſſe fertur ſimius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe, quod petis;
Te credo ſurripuiſſe, quod pulchre negas.

## FAB. XI.

### *Aſinus et Leo venantes.*

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit; notis eſt deriſui.

Venari, asello comite, quum vellet leo,
Contexit illum frutice, et admonuit simul,
Ut insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
Clamorem subito totis tollit viribus,
Novoque turbat bestias miraculo.
Quae dum paventes exitus notos petunt,
Leonis affliguntur horrendo impetu.
Qui, postquam caede fessus est, asinum evocat,
Iubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meae?
Insignis, inquit, sic, ut, nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu.

## *FAB. XII.*

### *Cervus ad Fontem.*

Laudatis utiliora quae contemseris
Saepe inveniri, haec exserit narratio.
Ad fontem cervus, quum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum;
In qua retentis impeditus cornibus,
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
Utilia mihi quam fuerint, quae despexeram;
Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

## FAB. XIII.

### *Vulpis et Corvus.*

Qui ſe laudari gaudent verbis ſubdolis,
Sera dant poenas turpes poenitentia.
Quum de feneſtra corvus raptum caſeum
Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore,
Hunc vidit vulpis, deinde ſic coepit loqui:
O qui tuarum, corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum: quem celeriter
Doloſa vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corvi deceptus ſtupor.

## FAB. XIV.

### *Ex Sutore Medicus.*

Malus quum ſutor, inopia deperditus,
Medicinam ignoto facere coepiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine:
Verboſis acquiſivit ſibi famam ſtrophis.
[Hic cum iaceret, morbo confectus gravi,]
Rex urbis, eius experiendi gratia,
Scyphum popoſcit: fuſa dein ſimulans aqua
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Hoc bibere iuſſit ipſum, poſito praemio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non artis ulla medicae ſe prudentia,
Verum ſtupore vulgi, factum nobilem.
Rex, advocata concione, haec edidit:

Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?
Hoc pertinere ad illos vere dixerim,
Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

## FAB. XV.

### *Asinus ad senem Pastorem.*

In principatu commutando civium
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum, parva haec fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat senex.
Is, hostium clamore subito territus,
Suadebat asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: quaeso, num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea,
Cui serviam? clitellas cum portem meas.

## FAB. XVI.

### *Cervus et Ovis.*

Fraudator nomen cum locat sponsu improbo,
Non rem expedire, sed mala videre expedit.
Ovem rogabat cervus modium tritici,
Lupo sponsore: at illa, praemetuens doli:
Rapere atque abire semper adsuevit lupus;
Tu de conspectu fugere veloci impetu.
Ubi vos requiram, cum dies advenerit?

## FAB. XVII.

### Ovis, Canis et Lupus.

Solent mendaces luere poenas malefici.
Calumniator ab ove cum peteret canis,
Quem commodasse panem se contenderet:
Lupus citatus testis, non unum modo
Debere dixit, verum affirmavit, decem.
Ovis, damnata falso testimonio,
Quod non debebat, solvit: post paucos dies
Bidens iacentem in fovea prospexit lupum:
Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

* * *

## FAB. XIX.

### Canis Parturiens.

Habent insidias hominis blanditiae mali:
Quas ut vitemus, versus subiecti monent.
Canis parturiens, cum rogasset alteram,
Ut foetum in eius tugurio deponeret,
Facile impetravit: dein reposcenti locum
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores posset catulos ducere.
Hoc quoque consumto, flagitare validius
Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

## FAB. XX.

### Canes famelici.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

Corium depreſſum in fluvio viderunt canes:
Id ut comeſſe extractum poſſent facilius,
Aquam coepere ebibere. Sed rupti prius
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

## FAB. XXI.

*Leo ſenex, Aper, Taurus et Aſinus.*

Quicunque amiſit dignitatem priſtinam,
Ignavis etiam iocus eſt in caſu gravi.
Defectus annis, et deſertus viribus
Leo cum iaceret, ſpiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem iniuriam.
Infeſtis taurus mox confodit cornibus
Hoſtile corpus. Aſinus ut vidit ferum
Impune laedi, calcibus frontem exterit.
At ille exſpirans: Fortes indigne tuli
Mihi inſultare; te, naturae dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

## FAB. XXII.

*Muſtela et Homo.*

Muſtela ab homine prenſa cum inſtantem necem
Effugere vellet: quaeſo, parce, inquit, mihi,
Quae tibi moleſtis muribus purgo domum.
Reſpondit ille: Faceres ſi cauſa mea,
Gratum eſſet, et dediſſem veniam ſupplici:
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas ſunt roſuri, ſimul et ipſos devores,

Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus, improbam leto dedit.
Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere,
Quorum privata ſervit utilitas ſibi,
Et meritum inane iactant imprudentibus.

## FAB. XXIII.

### *Canis fidelis.*

Repente liberalis ſtultis gratus eſt;
Verum peritis irritos tendit dolos.
Nocturnus cum fur panem miſiſſet cani,
Obiecto, tentans, an cibo poſſet capi:
Heus, ſi, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini, multum falleris.
Namque iſta ſubita me iubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

## FAB. XXIV.

### *Rana rupta et Bos.*

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam rana conſpexit bovem,
Et, tacta invidia tantae magnitudinis,
Rugoſam inflavit pellem: tum natos ſuos
Interrogavit, an bove eſſet latior?
Illi negarunt. Rurſus intendit cutem
Maiori niſu, et ſimili quaeſivit modo,
Quis maior eſſet? Illi dixerunt, bovem.
Noviſſime indignata, dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto iacuit corpore.

## *FAB. XXV.*

### *Canis et Corcodilus.*

Conſilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A corcodilis ne rapiantur, traditum eſt.
Igitur cum currens bibere coepiſſet canis,
Sic corcodilus: quamlibet lambe otio,
Accede, pota leniter, et noli dolos,
Inquit, vereri. At ille: facerem me hercule,
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meae.

## *FAB. XXVI.*

### *Vulpis et Ciconia.*

Nulli nocendum: ſi quis vero laeſerit,
Multandum ſimili iure, fabella admonet.
Vulpes ad coenam dicitur ciconiam
Prior invitaſſe, et illi in patena liquidam
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit ciconia.
Quae vulpem cum revocaſſet, intrito cibo
Plenam lagenam poſuit: huic roſtrum inſerens
Satiatur ipſa, torquet convivam fame.
Quae cum lagenae fruſtra collum lamberet,
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

## FAB. XXVII.

### *Canis, Theſaurus et Vulturius.*

Haec res avaris eſſe conveniens poteſt,
Et qui humiles nati dici locupletes ſtudent.
Humana effodiens oſſa, theſaurum canis
Invenit: et, violarat quia Manes deos,
Iniecta eſt illi divitiarum cupiditas,
Poenas ut ſanctae religioni penderet.
Itaque aurum dum cuſtodit, oblitus cibi,
Fame eſt conſumtus. Quem ſtans vulturius ſuper
Fertur locutus: O canis merito iaces,
Qui concupiſti ſubito regales opes,
Trivio conceptus, et educatus ſtercore.

## FAB. XXVIII.

### *Vulpis et Aquila.*

Quamvis ſublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet ſolertiae.
Vulpinos catulos aquila quondam ſuſtulit,
Nidoque poſuit pullis, eſcam ut carperent.
Hanc perſecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miſerae luctum importaret ſibi.
Contemſit illa, tuta quippe ipſo loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hoſti dolorem damno miſcens ſanguinis.
Aquila ut periclo mortis eriperet ſuos,
Incolumes natos ſupplex vulpi tradidit.

* * *

## F A B. XXX.

### *Ranae metuentes Taurorum proelia.*

Humiles laborant, ubi potentes diſſident.
Rana, in palude pugnam taurorum intuens,
Heu, quanta nobis inſtat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu cum decertarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boves:
Eſt ſtatio ſeparata, ac diverſum genus:
Sed pulſus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede.
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

## F A B. XXXI.

### *Milvus et Columbae.*

Qui ſe committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbae, ſaepe cum fugiſſent milvum,
Et celeritate pennae vitaſſent necem,
Conſilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo.
Quare ſollicitum potius aevum ducitis,
Quam me creatis icto regem foedere,
Qui vos ab omni tutas praeſtem iniuria?
Illae credentes, tradunt ſeſe milvo:
Qui, regnum adeptus, coepit veſci ſingulas,
Et exercere imperium ſaevis unguibus.
De reliquis tunc una: merito plectimur.

# Phaedri

## Fabularum Aeſopiarum

### Liber Secundus.

### *AUCTOR.*

Exemplis continetur Aeſopi genus,
Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria.
Quicunque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem, et ſervet propoſitum ſuum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem ſervabo ſenis:
Sed ſi libuerit aliquid interponere,
Dictorum ſenſus ut delectet varietas;
Bonas in partes, lector accipias velim
Ita, ſi rependet ipſa brevitas gratiam.
Cuius verboſa ne ſit commendatio,
Attende, cur negare cupidis debeas;
Modeſtis etiam offerre, quod non petierint.

## *FAB. I.*

### *Iuvencus, Leo et Praedator.*

Super iuvencum ſtabat deiectum leo.
Praedator intervenit, partem poſtulans:
Darem, inquit, niſi ſoleres per te ſumere:
Et improbum reiecit. Forte innoxius
Viator eſt deductus in eundem locum,
Feroque viſo, retulit retro pedem.
Cui placidus ille, non eſt quod timeas, ait,
Et, quae debetur pars tuae modeſtiae,
Audacter tolle. Tunc, diviſo tergore,
Silvas petivit, homini ut acceſſum daret.
[Exemplum egregium prorſus et laudabile.
Verum eſt aviditas dives et pauper pudor.]

## *FAB. II.*

### *Anus diligens virum aetatis mediae, item Puella.*

A feminis utcunque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.
Aetatis mediae quendam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantia:
Animosque eiusdem pulchra iuvenis ceperat.
Ambae, videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere coepere invicem.
Cum ſe putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus eſt. Nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

## FAB. III.

### *Homo et Canis.*

Laceratus quidam morſu vehementis canis
Tinctum cruore panem miſit malefico.
Audierat eſſe quod remedium vulneris.
Tunc ſic Aeſopus: noli coram pluribus
Hoc facere canibus: ne nos vivos devorent,
Cum ſcierint, eſſe tale culpae praemium.
Succeſſus improborum plures allicit.

## FAB. IV.

### *Aquila, Feles et Aper.*

Aquila in ſublimi quercu nidum fecerat:
Feles, cavernam nacta, in media pepererat:
Sus nemoricultrix foetum ad imam poſuerat.
Tum fortuitum feles contubernium
Fraude et ſcelesta ſic evertit malitia.
Ad nidum ſcandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forſan et miſerae mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum inſidioſum, quercum vult evertere,
Ut noſtram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuſo, et perturbatis ſenſibus,
Derepit ad cubile ſetoſae ſuis;
Magno, inquit, in periclo ſunt nati tui.
Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,
Aquila eſt parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore poſtquam complevit locum,
Doloſa tuto condidit ſeſe cavo.

Inde evagata noctu, ſuſpenſo pede,
Ubi eſca ſe replevit et prolem ſuam,
Pavorem ſimulans, proſpicit toto die.
Ruinam metuens aquila ramis deſidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia ſunt conſumti cum ſuis,
Felisque catulis largam praebuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis ſaepe concinnet mali,
Documentum habere ſtulta credulitas poteſt.

## *FAB. V.*

### *Caeſar ad Atrienſem.*

Eſt ardelionum quaedam Romae natio,
Trepide concurſans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi moleſta, et aliis odioſiſſima.
Hanc emendare, ſi tamen poſſum, volo
Vera fabella: pretium eſt operae attendere.
Caeſar Tiberius cum, petens Neapolim,
In Miſenenſem villam veniſſet ſuam,
Quae monte ſummo poſita Luculli manu,
Proſpectat Siculum, et proſpicit Tuſcum mare:
Ex alticinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat deſtricta, cirris dependentibus,
Perambulante laeta domino viridia,
Alveolo coepit ligneo conſpergere
Humum aeſtuantem, come officium iactitans:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Praecurrit alium in xyſtum, ſedans pulverem.
Agnoſcit hominem Caeſar, remque intelligit.
Id ut putavit eſſe neſcio quid boni:

Heus, inquit dominus; ille enim vero adſilit,
Donationis alacer certae gaudio.
Tum ſic iocata eſt tanti maieſtas ducis:
Non multum egiſti, et opera nequicquam perit;
Multo maioris alapae mecum veneunt.

## *F A B. VI.*

### *Aquila, Cornix et Teſtudo.*

Contra potentes nemo eſt munitus ſatis;
Si vero acceſſit conſiliator maleficus,
Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.
Aquila in ſublime ſuſtulit teſtudinem:
Quae cum abdidiſſet cornea corpus domo,
Nec ullo pacto laedi poſſet condita;
Venit per auras cornix, et, propter volans,
Opimam ſane praedam rapuiſti unguibus;
Sed, niſi monſtraro, quid ſit faciendum tibi,
Gravi nequidquam te laſſabit pondere.
Promiſſa parte, ſuadet ut ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram illidat corticem,
Qua comminuta facili veſcatur cibo.
Inducta verbis aquila, monitis paruit,
Simul et magiſtrae large diviſit dapem.
Sic, tuta quae naturae fuerat munere,
Impar duabus occidit triſti nece.

## *F A B. VII.*

### *Muli et Latrones.*

Muli gravati ſarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiſcos cum pecunia;
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.

Ille onere dives, celſa cervice eminens,
Clarumque collo iactans tintinnabulum:
Comes quieto ſequitur et placido gradu.
Subito latrones ex inſidiis advolant,
Interque caedem ferro mulum lancinant:
Diripiunt numos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus quum fleret ſuos,
Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo.
Nam nihil amiſi, nec ſum laeſus vulnere.
Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas.
Magnae periclo ſunt opes obnoxiae.

## *FAB. VIII.*

### *Cervus et Boves.*

Cervus nemoroſis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret inſtantem necem,
Caeco timore proximam villam petit,
Et opportuno ſe bubili condidit.
Hic bos latenti: Quidnam voluiſti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto ſpiritum commiſeris?
At ille ſupplex, vos modo, inquit, parcite;
Occaſione rurſus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt;
Eunt ſubinde et redeunt omnes ruſtici,
Nemo animadvertit: tranſit etiam villicus.
Nec ille quidquam ſentit. Tum gaudens ferus
Bobus quietis agere coepit gratias,
Hoſpitium adverſo quod praeſtiterint tempore.
Reſpondit unus: Salvum te cupimus quidem;

Sed ille, qui oculos centum habet, ſi venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Haec inter ipſe dominus a coena redit;
Et, quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad praeſepe: Cur frondis parum eſt?
Stramenta deſunt? tollere haec aranea
Quantum eſt laboris? Dum ſcrutatur ſingula,
Cervi quoque alta eſt conſpicatus cornua,
Quem convocata iubet occidi familia,
Praedamque tollit. Haec ſignificat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus ſuis.

## *EPILOGUS.*

Aeſopi ingenio ſtatuam poſuere Attici,
Servumque collocarunt aeterna in baſi,
Patere honoris ſcirent ut cunctis viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti, gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne ſolus eſſet, ſtudui, quod ſuperfuit.
Nec haec invidia, verum eſt aemulatio.
Quod ſi labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.
Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.
Si noſtrum ſtudium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus ſentit fabulas:
Omnem querelam ſubmovet felicitas.
Sin autem ab illis doctis occurret labor,
Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam poſſunt, niſi meliores carpere:
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

# Phaedri
# Fabularum Aeſopiarum
## Liber Tertius.

### *PROLOGUS AD EUTYCHUM.*

Phaedri libellos legere ſi deſideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Ut liber animus ſentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non eſt ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officiis meis.
Non ergo cauſa eſt manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortaſſe, dices, aliquae venient feriae,
Quae me ſoluto pectore ad ſtudium vocent.
Legesne, quaeſo, potius viles naenias,
Impendas curam quam rei domeſticae,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut aſſuetam fortius praeſtes vicem?
Mutandum tibi propoſitum eſt, et vitae genus,
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa eſt iugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Iovi,

Fecunda novies, artium peperit chorum,
Quamvis in ipſa natus ſim paene ſchola,
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Et laude invitatus vitam in hanc incubuerim,
Faſtidioſe tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulci praeponens lucrum?
Sed iam, quodcunque fuerit (ut dixit Sinon,
Ad regem cum Dardaniae perductus foret)
Librum exarabo tertium Aeſopi ſtilo,
Honori et meritis dedicans illum tuis.
Quem ſi leges, laetabor: ſin autem minus,
Habebunt certe, quo ſe oblectent, poſteri.
Nunc, fabularum cur ſit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis eluſit iocis.
Ego porro illius ſemitam feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod ſi accuſator alius Seiano foret,
Si teſtis alius, iudex alius denique:
Dignum faterer eſſe me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suſpicione ſi quis errabit ſua,
Et rapiet ad ſe, quod erit commune omnium:
Stulte nudabit animi conſcientiam.
Huic excuſatum me velim nihilo minus.
Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi,
Verum ipſam vitam et mores hominum oſtendere.

Rem me profeſſum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Aeſopus potuit, ſi Anacharſis Scytha
Aeternam famam condere ingenio ſuo:
Ego, literatae qui ſum propior Graeciae,
Cur ſomno inerti deſeram patriae decus?
Threiſſa cum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo,
Qui ſaxa cantu movit, et domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abeſto, livor, ne fruſtra gemas:
Quoniam ſolemnis mihi debetur gloria.
Induxi de ad legendum: ſincerum mihi,
Candore noto, reddas iudicium, peto.

## *FAB. I.*

### *Anus ad Amphoram.*

Anus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc, Falerna faece, e teſta nobili,
Odorem quae iucundum late ſpargeret.
Hunc poſtquam totis avida traxit naribus:
O ſuavis anima, quale in te dicam bonum
Antehac fuiſſe, tales cum ſint reliquiae?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

## *FAB. II.*

### *Panthera et Paſtores.*

Solet a deſpectis par referri gratia.
Panthera imprudens olim in foveam decidit:
Videre agreſtes; alii fuſtes congerunt,

Alii onerant ſaxis. Quidam contra miſeriti,
Periturae quippe, quamvis nemo laederet,
Miſere panem, ut ſuſtineret ſpiritum.
Nox inſecuta eſt, abeunt ſecuri domum,
Quaſi inventuri mortuam poſtridie.
At illa vires ut refecit languidas,
Veloci ſaltu fovea ſeſe liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpoſitis, provolat,
Pecus trucidat, ipſos paſtores necat,
Et cuncta vaſtans, ſaevit irato impetu.
Tum ſibi timentes, qui ferae pepercerant,
Damnum haud recuſant, tantum pro vita rogant.
At illa: memini, qui me ſaxo petierint:
Qui panem dederint: vos timere abſiſtite:
Illis revertor hoſtis, qui me laeſerant.

* * *

## *FAB. IV.*

### *Simii Caput.*

Pendere ad lanium quidam vidit ſimium
Inter reliquas merces, atque obſonia.
Quaeſivit, quidnam ſaperet. Tum lanius iocans,
Quale, inquit, caput eſt, talis praeſtatur ſapor.
Ridicule magis hoc dictum, quam vere, aeſtimo:
Quando et formoſos ſaepe inveni peſſimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

## FAB. V.

### Aeſopus et Petulans.

Succeſſus ad perniciem multos devocat.
Aeſopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior. Aſſem deinde illi dedit,
Sic proſecutus: Plus non habeo mehercule,
Sed unde accipere poſſis, monſtrabo tibi.
Venit ecce dives et potens; huic ſimiliter
Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.
Perſuaſus ille fecit, quod monitus fuit.
Sed ſpes fefellit impudentem audaciam:
Comprenſus namque poenas perſolvit cruce.

## FAB. VI.

### Muſca et Mula.

Muſca in temone ſedit, et mulam increpans,
Quam tarda es? inquit, non vis citius progredi?
Vide, dolone ne collum pungam tibi.
Reſpondit illa: verbis non moveor tuis:
Sed iſtum timeo, ſella qui prima ſedens
Iugum flagello temperat lento meum,
Et ora frenis continet ſpumantibus.
Quapropter aufer frivolam inſolentiam,
Namque, ubi ſtrigandum eſt, et ubi currendum ſcio.
Hac derideri fabula merito poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

## FAB. VII.

### Canis et Lupus.

Quam dulcis ſit libertas, breviter proloquar
Cani perpaſto macie confectus lupus
Forte occurrit: dein ſalutant invicem:
Ut reſtiterunt, Unde ſic, quaeſo, nites?
Aut quo cibo feciſti tantum corporis?
Ego, qui ſum longe fortior, pereo fame.
Canis ſimpliciter: eadem eſt conditio tibi,
Praeſtare domino ſi par officium potes.
Quod? inquit ille. Cuſtos ut ſis liminis,
A furibus tuearis et noctu domum.
Ego vero ſum paratus: nunc patior nives
Imbresque, in ſilvis aſperam vitam trahens,
Quanto eſt facilius mihi, ſub tecto vivere,
Et otioſum largo ſatiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aſpicit
Lupus a catena collum detritum canis.
Unde hoc, amice? Nihil eſt. Dic, quaeſo tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, et vigilem, nox cum venerit:
Crepuſculo ſolutus, qua viſum eſt, vagor.
Affertur ultro panis: de menſa ſua
Dat oſſa dominus: fruſta iactat familia,
Et, quod faſtidit quisque, pulmentarium.
Sic ſine labore venter impletur meus.
Age, ſi quo eſt abire animus, eſt licentia?
Non plane eſt, inquit. Fruere, quae laudas canis.
Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

## *FAB. VIII.*

### *Frater et Soror.*

Praecepto monitus, ſaepe te conſidera.
Habebat quidam filiam turpiſſimam,
Idemque inſigni et pulchra facie filium.
Hi ſpeculum, in cathedra matris ut poſitum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inſpexerant.
Hic ſe formoſum iactat: illa iraſcitur,
Nec gloriantis ſuſtinet fratris iocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit, laeſura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque, et carpens oſcula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens,
Quotidie, inquit, ſpeculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis:
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

## *FAB. IX.*

### *Socrates ad Amicos.*

Vulgare amici nomen; ſed rara eſt fides.
Cum parvas aedes ſibi fundaſſet Socrates,
(Cuius non fugio mortem, ſi famam aſſequar,
Et cedo invidiae, dum modo abſolvar cinis)
E populo ſic, neſcio quis, ut fieri ſolet:
Quaeſo tam anguſtam, talis vir, ponis domum?
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

## FAB. X.

### *Poëta de Credere et non Credere.*

Periculoſum eſt credere, et non credere.
Utriusque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercae creditum eſt.
Caſſandrae quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda eſt veritas multum prius,
Quam ſtulta prave iudicet ſententia.
Sed fabuloſam ne vetuſtatem elevent,
Narrabo tibi memoria quod factum eſt mea.
Maritus quidam cum diligeret coniugem,
Togamque puram iam pararet filio,
Seductus in ſecretum a liberto ſuo,
Sperante, heredem ſuffici ſe proximum.
Qui, cum de puero multa mentius foret,
Et plura de flagitiis caſtae mulieris,
Adiecit id, quod ſentiebat maxime
Dolituruma amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incenſus ille falſo uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subſedit: deinde noctu ſubito ianuam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum iuſſerat,
Aetatem adultam ſervans diligentius.
Dum quaerunt lumen, dum concurſant familia,
Irae furentis impetum non ſuſtinens,
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput
Ut ſentit tonſum, gladio pectus tranſigit,
Nihil reſpiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna allata, ſimul aſpexit filium,

Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil ſomno ſenſerat,
Reprenſentavit in ſe poenam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas ſtrinxerat.
Accuſatores poſtularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad centumviros.
Maligna inſontem deprimit ſuſpicio,
Quod bona poſſideat: ſtant patroni, fortiter
Cauſam tuentes innocentis feminae.
A divo Auguſto tunc petiere iudices,
Ut adiuvaret iurisiurandi fidem,
Quod ipſos error implicuiſſet criminis.
Qui poſtquam tenebras diſpulit calumniae
Certumque fontem veritatis reperit,
Luat, inquit, poenas, cauſa libertus mali.
Namque orbam nato, ſimul et privatam viro,
Miſerandam potius, quam damnandam exiſtimo.
Quod ſi damnanda perſcrutatus crimina
Pater familias eſſet, ſi mendacium
Subtiliter limaſſet: a radicibus
Non evertiſſet ſcelere funeſto domum.
Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim:
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes;
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere ſimplices etiam poteſt,
Opinione alterius ne quid ponderent.
Ambitio namque diſſidens mortalium
Aut gratiae ſubſcribit, aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Haec exſecutus ſum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

## FAB. XI.

### *Eunuchus ad Improbum.*

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,
Qui ſuper obſcoena dicta et petulans iurgium,
Damnum inſectatus eſt amiſſi corporis.
En, ait, hoc unum eſt, cur laborem validius,
Integritatis teſtes quia deſunt mihi.
Sed quid fortunae, ſtulte, delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

## FAB. XII.

### *Pullus ad Margaritam.*

In ſterculino pullus gallinaceus
Dum quaerit eſcam, margaritam reperit.
Iaces indigno, quanta res, inquit, loco!
Te ſi quis pretii cupidus vidiſſet tui,
Olim rediſſes ad ſplendorem priſtinum.
Ego, qui te inveni, potior cui multo eſt cibus:
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quicquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

## FAB. XIII.

### *Apes et Fuci, Veſpa iudice.*

Apes in alta quercu fecerant favos.
Hos fuci inertes eſſe dicebant ſuos,
Lis ad forum deducta eſt, veſpa iudice.
Quae genus utrumque noſſet cum pulcherrime,
Legem duabus hanc propoſuit partibus.
Non inconveniens corpus, et par eſt color,
In dubium plane res ut merito venerit.

Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alvos accipite, et ceris opus infundite,
Ut ex ſapore mellis, et forma favi,
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recuſant; apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit ſententiam:
Apertum eſt, quis non poſſit, aut quis fecerit.
Quapropter apibus fructum reſtituo ſuum.
Hanc praeteriſſem fabulam ſilentio,
Si pactam fuci non recuſaſſent fidem.

## *FAB. XIV.*

### *Aeſopus ludens.*

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Aeſopum nucibus cum vidiſſet, reſtitit,
Et quaſi delirum riſit. Quod ſenſit ſimul
Deriſor potius, quam deridendus ſenex,
Arcum retenſum poſuit in media via:
Heus, inquit, ſapiens, expedi, quid fecerim.
Concurrit populus: ille ſe torquet diu,
Nec quaeſtionis poſitae cauſam intelligit:
Noviſſime ſuccumbit. Tum victor ſophus:
Cito rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris;
At ſi laxaris, cum voles, erit utilis.
Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

## *FAB. XV.*

### *Canis ad Agnum.*

Inter capellas agno balanti canis,
Stulte, inquit, erras, non eſt hic mater tua:

Oveſque ſegregatas oſtendit procul.
Non illam quaero, quae, cum libitum eſt, concipit,
Dein portat onus ignotum certis menſibus,
Noviſſime prolapſam effundit ſarcinam;
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi. —
Tamen illa eſt potior, quae te peperit. — Non ita eſt.
Unde illa ſcivit, niger, an albus naſcerer?
Age porro, ſciſſet: cum crearer maſculus,
Beneficium magnum ſane natali dedit,
Ut exſpectarem lanium in horas ſingulas.
Cuius poteſtas nulla in gignendo fuit,
Cur hac ſit potior, quae iacentis miſerita eſt,
Dulcemque ſponte praeſtat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non neceſſitas.
[His demonſtrare voluit auctor verſibus,
Obſiſtere homines legibus, meritis capi.]

## *FAB. XVI.*

### *Cicada et Noctua.*

Humanitati qui ſe non accommodat,
Plerumque poenas oppetit ſuperbiae.
Cicada acerbum noctuae convicium
Faciebat, ſolitae victum in tenebris quaerere,
Cavoque ramo capere ſomnum interdiu.
Rogata eſt, ut taceret. Multo validius
Clamare coepit. Rurſus admota prece,
Accenſa magis eſt. Noctua, ut vidit, ſibi
Nullum eſſe auxilium, et verba contemni ſua,

Hac eſt agreſſa garrulam fallacia.
Dormire quia me non ſinunt cantus tui,
Sonare cithara quos putes Apollinis:
Potare eſt animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit; ſi non faſtidis, veni,
Una bibamus. Illa, quae ardebat ſiti,
Simul cognovit, vocem laudari ſuam,
Cupide advolavit. Noctua, egreſſa e cavo,
Trepidantem conſectata eſt, et leto dedit.
Sic, viva quod negarat, tribuit mortua.

## *F A B. XVII.*

### *Arbores in Deorum tutela.*

Olim, quas vellent eſſe in tutela ſua,
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea:
Pinus Cybebae, populus celſa Herculi.
Minerva admirans, quare ſteriles ſumerent,
Interrogavit. Cauſam dixit Iupiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.
At mehercule narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum eſt gratior.
Tunc ſic deorum genitor, atque hominum ſator:
O nata, merito ſapiens dicere omnibus;
Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.
Nihil agere, quod non proſit, fabella admonet.

## *F A B. XVIII.*

### *Pavo ad Iunonem.*

Pavo ad Iunonem venit, indigne ferens,
Cantus luſcinii quod ſibi non tribuerit:

Illum esse cunctis auribus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc, consolandi gratia, dixit dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine.
Nitor smaragdi collo praefulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae:
Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,
Augurium corvo, laeva cornici omina,
Omnes quae propriis sunt contentae dotibus.
Noli affectare, quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

## FAB. XIX.

### *Aesopus ad Garrulum.*

Aesopus domino solus cum esset familia,
Parare coenam iussus est maturius.
Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domus,
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circueunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque recta per forum
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus:
Aesope, medio sole, quid cum lumine?
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animum retulit,
Sensit profecto, se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato alluserit.

# FAB. XX.

## *Asinus et Galli.*

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit; verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
Galli Cybebes circum quaestus ducere
Asinum solebant, baiulantem sarcinas.
Is cum labore et plagis esset mortuus,
Detracta pelle, sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore;
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

# Phaedri

## Fabularum Aeſopiarum

## Liber Quartus.

### *AUCTOR.*

Joculare tibi videtur: et ſane levi,
Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has naenias:
Quantam ſub illis utilitatem reperies!
Non ſemper ea ſunt, quae videntur; decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus ſine mercede exiſtimer,
Fabellam adiiciam de muſtela et muribus.

### *FAB. I.*

### *Muſtela et Mures.*

Muſtela, cum, annis et ſenecta debilis,
Mures veloces non valeret aſſequi,
Involvit ſe farina, et obſcuro loco
Abiecit negligenter. Mus eſcam putans,
Aſſiluit, et compreſſus occubuit neci:

Alter ſimiliter, deinde periit tertius.
Aliquot ſecutis, venit et retorridus,
Qui ſaepe laqueos et muſcipula effugerat;
Proculque inſidias cernens hoſtis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quae iaces.

## FAB. II.

### *Vulpis et Uva.*

Fame coacta vulpis alta in vinea
Uvam appetebat, ſummis ſaliens viribus.
Quam tangere ut non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt; nolo acerbam ſumere.
Qui, facere quae non poſſunt, verbis elevant,
Adſcribere hoc debebunt exemplum ſibi.

## FAB. III.

### *Equus et Aper.*

Equus ſedare ſolitus quo fuerat ſitim,
Dum ſeſe aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis eſt. Sonipes, iratus fero,
Auxilium petiit hominis: quem dorſo levans
Rediit ad hoſtem. Iactis hunc telis eques
Poſtquam interfecit, ſic locutus traditur:
Laetor, tuliſſe auxilium me precibus tuis:
Nam praedam cepi, et didici, quam ſis utilis.
Atque ita coëgit frenos invitum pati.
Tum moeſtus ille: Parvae vindictam rei
Dum quaero demens, ſervitutem reperi.
Haec iracundos admonebit fabula,
Impune potius laedi, quam dedi alteri.

## FAB. IV.

### *Poëta.*

Plus eſſe in uno ſaepe, quam in turba, boni,
Narratione poſteris tradam brevi.
Quidam decedens tres reliquit filias:
Unam formoſam, et oculis venantem viros;
At alteram lanificam, frugi et ruſticam;
Devotam vino tertiam, et turpiſſimam.
Harum autem matrem fecit heredem ſenex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Aequaliter diſtribuat, ſed tali modo:
Ne data poſſideant, aut fruantur; tum, ſimul
Habere res deſierint, quas acceperint,
Centena matri conferant ſeſtertia.
Athenas rumor implet. Mater ſedula
Iuris peritos conſulit: nemo expedit,
Quo pacto non poſſideant, quod fuerat datum,
Fructumve capiant; deinde, quae tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Poſtquam conſumta eſt temporis longi mora,
Nec teſtamenti potuit ſenſus colligi:
Fidem advocavit, iure neglecto, parens.
Seponit moechae veſtem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros;
Lanificae, agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, iumenta, et inſtrumentum ruſticum:
Potrici antiquis apothecam cadis,
Domum politam, et delicatos hortulos.
Sic deſtinata dare cum vellet ſingulis,
Et approbaret populus, qui illas noverat:

Aeſopus media ſubito in turba conſtitit:
O ſi maneret condito ſenſus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem ſuam
Interpretari non potuiſſent Attici!
Rogatus deinde, ſolvit errorem omnium.
Domum et ornamenta, cum venuſtis hortulis,
Et vina vetera date lanificae ruſticae:
Veſtem, uniones, pediſſequos, et cetera
Illi aſſignate, vitam quae luxu trahit:
Agros, vites, et pecora cum paſtoribus
Donate moechae. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum ſuis.
Deformis cultum vendet, ut vinum petat:
Agros abiiciet moecha, ut ornatum paret:
At illa gaudens pecore, et lanae dedita,
Quacunque ſumma tradet luxuriae domum.
Sic nulla poſſidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam
Ex pretio rerum, quas vendiderint, ſingulae.
Ita, quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis reperit ſolertia.

## *FAB. V.*

### *Pugna Murium et Muſtelarum.*

Cum victi mures muſtelarum exercitu
(Hiſtoria quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, et artos circum trepidarent cavos:
Aegre recepti, tamen evaſerunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conſpicuum in proelio
Haberent ſignum, quod ſequerentur milites,

Haesere in portis, suntque capti ab hostibus.
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit tartareo specu.
Quemcunque populum tristis eventus premit:
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili praesidio latet.

## FAB. VI.

### Poëta.

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea,
Et hoc iocorum legere fastidis genus,
Parva libellum sustine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuae,
Et in cothurnis prodit Aesopus novis.
„Utinam nec unquam Pelii nemoris iugo
Pinus bipenni concidisset Thessala!
Nec ad professae mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem!
Inhospitalis prima quae Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Graium, et Barbarum.
Namque et superbi luget Aeetae domus,
Et regna Peliae scelere Medeae iacent:
Quae, saevum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam;
Hic caede patris Peliadum infecit manus."
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum: longe quia vetustior
Aegea Minos classe perdomuit freta,
Iustoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellae te iuvant, nec fabulae?

Noli moleſtus eſſe omnino literis,
Maiorem exhibeant ne tibi moleſtiam.
Hoc illis dictum eſt, ſi qui ſtulti nauſeant,
Et, ut putentur ſapere, coelum vituperant.

## FAB. VII.

### *Vipera et Lima.*

Mordaciorem qui improbo dente appetit,
Hoc argumento ſe deſcribi ſentiat.
In officinam fabri venit vipera:
Haec cum tentaret, ſi qua res eſſet cibi,
Limam momordit. Illa contra contumax,
Quid me, inquit, ſtulta, dente captas laedere,
Omne aſuevi ferrum quae corrodere?

## FAB. VIII.

### *Vulpes et Hircus.*

Homo in periculum ſimul ac venit callidus,
Effugium reperire alterius quaerit malo.
Cum decidiſſet vulpis in puteum inſcia,
Et altiore clauderetur margine:
Devenit hircus ſitiens in eundem locum,
Simul rogavit, eſſet an dulcis liquor,
Et copioſus. Illa, fraudem moliens:
Deſcende, amice, tanta bonitas eſt aquae,
Voluptas ut ſatiari non poſſit mea.
Immiſit ſe barbatus. Tum vulpecula
Evaſit puteo, nixa celſis cornibus,
Hircumque clauſo liquit haerentem vado.

## FAB. IX.

### *De Vitiis Hominum.*

Peras impoſuit Iupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem.
Hac re videre noſtra mala non poſſumus:
Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

## FAB. X.

### *Fur Aram compilans.*

Lucernam fur accendit ex ara Iovis,
Ipſumque compilavit ad lumen ſuum.
Onuſtus ſacrilegio cum diſcederet,
Repente vocem ſancta miſit religio:
Malorum quamvis iſta fuerint munera,
Mihique inviſa, ut non offendar ſurripi;
Tamen ſceleſte, ſpiritu culpam lues,
Olim cum adſcriptus venerit poenae dies.
Sed, ne ignis noſter facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos,
Veto eſſe tale luminis commercium.
Ita hodie, nec lucernam de flamma deum,
Nec de lucerna, fas eſt, accendi ſacrum.
Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quam qui reperit.
Significat primo, ſaepe, quos ipſe aluerit,
Tibi inveniri maxime contrarios:
Secundo oſtendit, ſcelera non ira deum,
Fatorum dicto ſed puniri tempore:

Noviſſime interdicit, ne cum malefico
Ulum bonus conſociet ullius rei.

## *F A B. XI.*

### *Malas eſſe Divitias.*

Opes inviſae merito ſunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Coelo receptus propter virtutem Hercules,
Cum gratulantes perſalutaſſet deos,
Veniente Pluto, qui Fortunae eſt filius,
Avertit oculos. Cauſam quaeſivit pater:
Odi, inquit, illum, quia malis amicus eſt,
Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

* * *

## *F A B. XV.*

### *Capellae et Hirci.*

Barbam capellae cum impetraſſent ab Iove,
Hirci moerentes indignari coeperant,
Quod dignitatem feminae aequaſſent ſuam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et uſurpare veſtri ornatum muneris,
Pares dum non ſint veſtrae fortitudini.
Hoc argumentum monet, ut ſuſtineas tibi
Habitu eſſe ſimiles, qui ſunt virtute impares.

## FAB. XVI.

### Gubernator et Nautae.

Cum de fortunis quidam quereretur ſuis,
Aeſopus finxit conſolandi gratia.
Vexata ſaevis navis tempeſtatibus,
Inter vectorum lacrimas, et mortis metum,
Faciem ad ſerenam ſubito mutato die,
Ferri ſecundis tuta coepit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum gubernator ſophus:
Parce gaudere oportet, et ſenſim queri,
Totam quia vitam miſcet dolor, et gaudium.

## FAB. XVII.

### Canum Legati ad Iovem.

Canes legatos olim miſere ad Iovem,
Melioris vitae tempus oratum ſuae,
Ut ſeſe abriperet hominum contumeliis:
Furfuribus ſibi conſperſum quod panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti ſunt legati non celeri pede,
Dum naribus ſcrutantur eſcam in ſtercore.
Citati non reſpondent. Vix tandem invenit
Eos Mercurius, et turbatos attrahit.
Tum vero, vultum magni ut viderunt Iovis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulſi vero fuſtibus, vadunt foras:
Vetat dimiti magnus illos Iupiter.
Mirati, ſibi legatos non revertier,

Turpe aeſtimantes aliquid commiſſum a ſuis,
Poſt aliquod tempus alios adſcribi iubent.
Rumor legatos ſuperiores prodidit.
Timentes, rurſus aliquid ne ſimile accidat,
Odore canibus anum, ſed multo, replent:
Mandata dant, legati mittuntur, ſtatim
Abeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.
Conſedit genitor tum deorum maximus,
Quaſſatque fulmen, tremere coepere omnia.
Canes confuſi, ſubitus quod fuerat fragor,
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.
Sic eſt locutus ante poenam Iupiter:
Non eſt legatos regis non dimittere,
Nec eſt difficile, poenas culpae imponere,
Sed hoc feretis pro iudicio praemium:
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non poſſint ſuum.
Illi autem, qui miſerunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos exſpectant et poſteri:
Novumque venire qui videt, culum olfacit.

## *F A B. XVIII.*

### *Homo et Colubra.*

Qui fert malis auxilium, poſt tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram ſuſtulit,
Sinuque fovit, contra ſe ipſe miſericors.
Namque ut refecta eſt, necuit hominem pro-
ti nus.

Hanc alia cum rogaret cauſam facinoris,
Reſpondit: Ne quis diſcat prodeſſe improbis.

## F A B. XIX.

### *Vulpis et Draco.*

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,
Pervenit ad draconis ſpeluncam intimam,
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.
Hunc ſimul aſpexit: Oro, ut imprudentiae
Des primum veniam; deinde, ſi pulchre vides,
Quam non conveniens aurum ſit vitae meae,
Reſpondeas clementer, quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum eſt praemium,
Ut careas ſomno, et aevum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille: verum hoc a ſummo mihi
Iove attributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo iraſcaris, libere ſi dixero:
Diis eſt iratis natus, qui eſt ſimilis tibi.
Abiturus illuc, quo priores abierunt
Quid mente caeca miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
Qui ture ſuperos, ipſum te fraudas cibo:
Qui triſtis audis muſicum citharae ſonum,
Quem tibiarum macerat iocunditas,
Obſoniorum pretia cui gemitum exprimunt:
Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,
Coelum fatigas ſordido periurio:
Qui circumcidis omnem impenſam funeri,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

## FAB. XX.

### Phaedrus.

Quid iudicare cogitet livor modo,
Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo,
Quidquid putabit esse dignum memoriae,
Aesopi dicet: si quid minus arriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli iam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exequamur coeptum propositi ordinem.

## FAB. XXI.

### Naufragium Simonidis.

Homo doctus in se semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius
Circuire coepit urbes Asiae nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagio
(Erat autem natus, ut aiunt, in Cea insula.)
Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior,
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,

Quia plures onere degravati perierunt.
Praedones adſunt, rapiunt quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic literarum quidam ſtudio deditus,
Simonidis qui ſaepe verſus legerat,
Eratque abſentis admirator maximus,
Sermone ab ipſo cognitum cupidiſſime
Ad ſe recepit, veſte, numis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam ſuam
Portant rogantes victum. Quos caſu obvios
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum eſſe cuncta; vos quod rapuiſtis, perit.

## *F A B. XXII.*

### *Mons parturiens.*

Mons parturibat, gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima exſpectatio.
At ille murem peperit. Hoc ſcriptum eſt tibi,
Qui magna cum minaris, extricas nihil.

## *F A B. XXIII.*

### *Formica et Musca.*

Formica et muſca contendebant acriter,
Quae pluris eſſet. Muſca ſic coepit prior:
Conferre noſtris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta praeguſto deum,
Moror inter aras, templa perluſtro omnia.
In capite regis ſedeo, cum viſum eſt mihi,
Et matronarum caſta delibo oſcula;

Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum ſimile tibi contingit, ruſtica? —
Eſt glorioſus ſane convictus deum,
Sed illi, qui invitatur, non qui inviſus eſt.
Reges commemoras, et matronarum oſcula:
Ego granum in hiemem cum ſtudioſe congero,
Te circa murum paſci video ſtercore.
Aras frequentas: nempe abigeris, quo venis.
Nihil laboras, ideo, cum opus eſt, nihil habes.
Superba iactas, tegere quod debet pudor.
Aeſtate me laceſſis; cum bruma eſt, ſiles.
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copioſa recepit incolumem domus.
Satis profecto retudi ſuperbiam.
Fabella talis hominum diſcernit notas
Eorum, qui ſe falſis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet ſolidum decus.

## *FAB. XXIV.*

### *Simonides a Diis ſervatus.*

Quantum valerent inter homines literae,
Dixi ſuperius: quantus nunc illis honos
A ſuperis ſit tributus, tradam memoriae.
Simonides idem ille, de quo retuli,
Victori laudem cuidam pyctae ut ſcriberet,
Certo conduxit pretio: ſecretum petit.
Exigua cum frenaret materia impetum,
Uſus poetae, ut moris eſt, licentia,
Atque interpoſuit gemina Ledae ſidera,
Auctoritatem ſimilis referens gloriae.
Opus approbavit, ſed mercedis tertiam

Accepit partem. Cum reliquum poſceret,
Illi, inquit, reddent, quorum ſunt laudis duae.
Verum, ut ne irate dimiſſum te ſentiam,
Ad coenam mihi promitte, cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis, et dolens iniuria,
Ne male dimiſſus gratiam corrumperet,
Promiſit. Rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium;
Magno apparatu laeta reſonabat domus:
Duo cum repente iuvenes, ſparſi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore
Humanam ſupra formam, cuidam ſervulo
Mandant, ut ad ſe provocet Simonidem,
Illius intereſſe, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camarae ſubito oppreſſit ceteros,
Nec ulli iuvenes ſunt reperti ad ianuam.
Ut eſt vulgatus ordo narratae rei,
Omnes ſcierunt, numinum praeſentiam
Vati dediſſe vitam mercedis loco.

## EPILOGUS.

Superſunt mihi, quae ſcribam, ſed parco ſciens:
Primum, eſſe ne tibi videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas;
Dein, ſi quis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui.
Quamvis materiae tanta abundet copia;
Labori faber ut deſit, non fabro labor.

Brevitati nostrae praemium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est quotidie,
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior,
Fruar diutius, si celerius coepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua,
Cum iam desierit esse beneficium utile,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces existimo,
Proclivis ultro cum sit misericordia.
Saepe impetravit veniam confessus reus:
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae prius sunt partes, aliorum dein:
Similique gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides;
Et gratulari me fac iudicio tuo.
Excedit animus, quem proposuit, terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires; apparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer sententiam:
*Palam mutire plebeio piaculum est,*
Dum sanitas constabit, pulcre meminero.

# Phaedri

# Fabularum Aeſopiarum

## Liber Quintus.

### *PROLOGUS AD PARTICULONEM.*

Cum deſtinaſſem operis habere terminum
In hoc, ut aliis eſſet materiae ſatis:
Conſilium tacito corde damnavi meum.
Nam ſi quis talis etiam eſt tituli artifex,
Quo pacto divinabit, quidnam omiſerim,
Ut illud ipſum cupiam famae tradere?
Sua cuique cum ſit animi cogitatio
Colorque proprius. Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio, cauſam ſcribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Aeſopeas, non Aeſopi nomino,
Quaſi paucas oſtenderit, ego plures diſſero,
Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis;
Harum libellum tu vacive perleges.
Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.

Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui,
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa iudicatis memoria.
Illiteratum plausum nec desidero.
Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iam pridem, quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,
Qui pretium operibus maius inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelem suo,
Myronem argento: sic fabulae audiant
Adeo fucatae. Plus vetustis nam favet
Invidia mordax, quam bonis praesentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror.

## *FAB. I.*

### *Demetrius et Menander.*

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt:
FELICITER subclamant. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,
Tacite gementes tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides, et sequentes otium,
Ne defuisse noceat, repunt ultimi.
In queis Menander, nobilis comoediis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, vestitu affluens,
Veniebat gressu delicato, et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine,

Quinam cinaedus ille in conſpectu meo
Audet venire? reſponderunt proximi:
Hic eſt Menander ſcriptor. Mutatus ſtatim.
. . . . . . . . . . . . . . . . .

## F A B. II.

### *Viatores et Latro.*

[Duo cum incidiſſent in latronem milites,
Unus profugit; alter autem reſtitit,]
Et vindicavit ſeſe forti dextera.
Latrone occiſo, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein reiecta penula,
Cedo, inquit, illum, iam curabo ſentiat,
Quos attentarit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem, iſtis verbis ſaltem adiuviſſes modo,
Conſtantior fuiſſem, vera exiſtimans.
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem,
Ut poſſis alios ignorantes fallere.
Ego, qui ſum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quam virtuti non ſit credendum tuae.
Illi aſſignari debet haec narratio,
Qui re ſecunda fortis eſt, dubia fugax.

## F A B. III.

### *Calvus et Muſca.*

Calvi momordit muſca nudatum caput:
Quam opprimere captans, alapam ſibi duxit gravem.
Tunc illa irridens: punctum volucris parvulae
Voluiſti morte ulciſci; quid facies tibi,

Iniuriae qui addideris contumeliam?
Reſpondit: mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuiſſe mentem laedendi ſcio;
Sed te, contemti generis animal improbum,
Quae delectaris bibere humanum ſanguinem,
Optem necare vel maiore incommodo.
Hoc argumentum veniam iam dari docet,
Qui caſu peccat: at qui conſilio eſt nocens,
Illum eſſe quavis poena dignum iudico.

## *F A B. IV.*

### *Homa et Aſinus.*

Quidam immolaſſet verrem cum ſancto Herculi,
Cui pro ſalute votum debebat ſua,
Aſello iuſſit reliquias poni hordei.
Quas, aſpernatus ille, ſic locutus eſt:
Tuum libenter prorſus appeterem cibum,
Niſi qui nutritus illo eſt, iugulatus foret.
Huius reſpectu fabulae deterritus
Periculoſum ſemper vitavi lucrum.
Sed dicis: qui rapuere divitias, habent.
Numeremus, agedum, qui deprenſi perierint:
Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas eſt bono, multis malo.

## *F A B V.*

### *Scurra et Ruſticus.*

Pravo favore labi mortales ſolent,
Et pro iudicio dum ſtant erroris ſui,

Ad poenitendum rebus manifeſtis agi.
Facturus ludos quidam dives nobiles,
Propoſito cunctos invitavit praemio,
Quam quisque poſſet, ut novitatem oſtenderet.
Venere artifices laudis ad certamina.
Quos inter ſcurra, notus urbano ſale,
Habere dixit ſe genus ſpectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paullo ante vacua turbam deficiunt loca.
In ſcena vero poſtquam ſolus conſtitit,
Sine apparatu, nullis adiutoribus,
Silentium ipſa fecit exſpectatio.
Ille in ſinum repente demiſit caput,
Et ſic porcelli vocem eſt imitatus ſua,
Verum ut ſubeſſe pallio contenderent,
Et excuti iuberent. Quo facto ſimul
Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plauſu proſequuntur maximo.
Hoc vidit fieri ruſticus. Non mehercule
Me vincet, inquit: et ſtatim profeſſus eſt,
Idem facturum melius ſe poſtridie.
Fit turba maior. Iam favor mentes tenet,
Et deriſuri, non ſpectaturi, ſedent.
Uterque prodit. Scurra degrunnit prior,
Movetque plauſus, et clamores ſuſcitat.
Tunc ſimulans ſeſe veſtimentis ruſticus
Porcellum obtegere, (quod faciebat ſcilicet,
Sed, in priore quia nil compererant, latens)
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Acclamat populus, ſcurram multo ſimilius
Imitatum, et cogit ruſticum trudi foras.

At ille profert ipſum porcellum e ſinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans,
En, hic declarat, quales ſitis iudices.

## FAB. VI.

### Duo Calvi.

Invenit calvus forte in trivio pectinem:
Acceſſit alter, aeque defectus pilis,
Eia, inquit, in commune, quodcunque eſt lucri.
Oſtendit ille praedam, et adiecit ſimul:
Superum voluntas favit, ſed, fato invido,
Carbonem, ut aiunt, pro theſauro invenimus.
Quem ſpes deluſit, huic querela convenit.

## FAB. VII.

### Princeps Tibicen.

Ubi vanus animus, aura captus frivola,
Arripuit inſolentem ſibi fiduciam,
Facile ad deriſum ſtulta levitas ducitur.
Princeps tibicen notior paullo fuit,
Operam Bathyllo ſolitus in ſcena dare.
Is forte ludis (non ſatis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit caſu gravi
Nec opinans, et ſiniſtram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluiſſet perdere.
Inter manus ſublatus, et multum gemens
Domum refertur. Aliquot menſes tranſeunt,
Ad ſanitatem dum venit curatio.

Ut ſpectatorum mos eſt, et lepidum genus,
Deſiderari coepit, cuius flatibus
Solebat excitari ſaltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobiles,
Et incipiebat Princeps ingredier. Eum
Adducit pretio, precibus, ut tantummodo
Ipſo ludorum oſtenderet ſeſe die.
Qui ſimul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
Quidam in conſpectum prodituram ſine mora.
Aulaeo miſſo, devolutis tonitrubus,
Dii ſunt locuti more translatitio.
Chorus reducto tunc et notum canticum
Impoſuit, cuius haec fuit ſententia:
*Laetare incolumis, Roma, ſalvo principe.*
In plauſus conſurrectum eſt. Iactant baſia.
Tibicen gratulari fautores putat.
Equeſter ordo ſtultum errorem intelligit,
Magnoque riſu canticum repeti iubet.
Iteratur illud. Homo meus ſe in pulpito
Totum proſternit: plaudit illudens eques:
Rogare populus hunc coronam exiſtimat.
Ut vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure nivea faſcia,
Niveis tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinae domus,
Ab univerſis capite eſt protruſus foras.

## *FAB. VIII.*

### *Occaſio depicta.*

Curſu volucri, pendens in novacula,
Calvus, comoſa fronte, nudo corpore,

Quem ſi occuparis, teneas; elapſum ſemel
Non ipſe poſſit Iupiter reprehendere;
Occaſionem rerum ſignificat brevem.
  Effectus impediret ne ſegnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem temporis.

## *FAB. IX.*

### *Taurus et Vitulus.*

  Anguſto in aditu taurus luctans cornibus,
Cum vix intrare poſſet ad praeſepia,
Monſtrabat vitulus, quo ſe pacto plecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, ſibi dici putet.

## *FAB. X.*

### *Venator et Canis.*

  Adverſus omnes fortis veloces feras
Canis, cum domino ſemper feciſſet ſatis,
Languere coepit annis ingravantibus.
Aliquando obiectus hiſpidi pugnae ſuis
Arripuit aurem: ſed carioſis dentibus
Praedam dimiſit. Hic tum venator dolens
Canem obiurgabat. Cui latrans contra ſenex:
Non te deſtituit animus, ſed vires meae.

Quod fuimus laudas; iam damnas, quod non ſumus,
Hoc cur, Philete, ſcripſerim, pulchre vides.

## EPILOGUS.

Adhuc ſuperſunt multa, quae poſſim loqui,
Et copioſa abundat rerum varietas:
Sed temperatae ſuaves ſunt argutiae,
Immodicae offendunt. Quare, vir ſanctiſſime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certe brevitatem approba,
Quae commendari tanto debet iuſtius,
Quanto poetae ſunt moleſti validius.

# Appendix Fabularum

a

Marquardo Gudio

ex Manuscripto Divionensi descriptarum.

## *FAB. I.*

### *Milvus aegrotans.*

Multos cum menses aegrotasset milvus,
Nec iam videret esse vitae spem suae;
Matrem rogabat, sancta circumiret loca,
Et pro salute vota faceret maxima.
Faciam, inquit, fili, sed, opem ne non impetrem,
Vehementer vereor; tu qui delubra omnia
Vastando, cuncta polluisti altaria,
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

## FAB. II.

### *Lepores vitae pertaesi.*

Qui ſuſtinere non poteſt ſuum malum,
Alios inſpiciat, et diſcat tolerantiam.
Aliquando in ſilvis ſtrepitu magno conciti
Lepores clamant, ſe propter aſſiduos metus
Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum
Venerunt, miſeri quo ſe praecipites darent.
Adventu quorum poſtquam ranae territae
Virides in algas miſere fugientes ruunt:
Heu, inquit unus, ſunt et alii, quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam, ut ceteri.

## FAB. III.

### *Vulpis et Iupiter.*

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.
Humanam in ſpeciem cum vertiſſet Iupiter
Vulpem, regali pellex ut ſedit throno,
Scarabeum vidit prorepentem ex angulo,
Notamque ad praedam celeri proſiluit gradu.
Superi riſere, magnus erubuit pater,
Repudiatam turpemque pellicem expulit
His proſecutus: vive, quo digna es, modo,
Quae noſtris uti meritis digne non potes.

## FAB. IV.

### *Leo et Mus.*

Ne quis minores laedat, fabula haec monet.
Leone in ſilva dormiente, ruſtici

Luxuriabant mures, et unus ex iis
Super cubantem casu quodam transiit.
Expergefactus miserum leo celeri impetu
Arripuit; ille veniam sibi dari rogat,
Crimen supplex fatetur, peccatum imprudentiae.
Hoc rex ulcisci gloriosum non putans,
Ignovit et dimisit. Post paucos dies
Leo, dum vagatur noctu, in foveam decidit.
Captum ut se agnovit laqueis, voce maxima
Rugire coepit; cuius immanem ad sonum
Mus subito accurrens: non est, quod timeas, ait,
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus, artuum et ligamina
Lustrare coepit, cognitosque dentibus
Nervos rodendo laxat ingenia artuum.
Sic captum mus leonem silvis reddidit.

## *F A B. V.*

### *Homo et Arbores.*

Pereunt, suis auxilium qui dant hostibus.
Facta bipenni quidam ab arboribus petit,
Manubrium ut darent e ligno, quod foret
Firmum. Iusserunt omnes oleastrum dari.
Accepit munus, aptans et manubrium
Coepit securi magna excidere robora.
Dumque eligebat, quae vellet, sic fraxino
Dixisse fertur quercus: merito caedimur.

## PROMETHEUS ET DOLUS.

(*Ex noviter detectis a Caſſito Fabulis.*)

Olim Prometheus ſeculi figulus novi
Creta ſubtili veritatem fecerat,
Ut iura poſſet inter homines reddere.
Subito accerſitus nuntio magni Iovis,
Commendat officinam fallaci Dolo,
In diſciplinam nuper quem receperat.
Hic ſtudio accenſus, facie ſimulacrum pari,
Una ſtatura, ſimile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callida finxit manu.
Quod prope iam totum mire quum poſitum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit magiſter, feſtinante quo Dolus,
Metu turbatus, in ſuo ſedit loco.
Mirans Prometheus tantam ſimilitudinem,
Propriae videri voluit artis gloriam.
Igitur fornaci pariter duo ſigna intulit.
Quibus percoctis, atque infuſo ſpiritu,
Modeſto greſſu ſancta inceſſit Veritas:
At trunca ſpecies haeſit in veſtigio.
Tunc falſa imago, atque operis furtivi labor
Mendacium appellatum eſt, quod ne . . .
Pedes habere f . . le ipſe c . . s . n . .

# Notae Criticae
et
# Aeſtheticae
in
# Phaedri Fabulas.

# Notae Criticae
## et
# Aesthetica
## in Phaedri Fabulas.

Sciendum, nos in hoc auctore edendo, et iuventutis lectioni aptando, textum Petri Burmanni recensione constitutum, prae ceteris esse secutos. Comparavimus tamen et textum antiquiorum editionum, Neveleti praecipue; nec recentiorum in hunc auctorem collatos labores negleximus. Haud multa sunt loca, in quibus emendationem aliquam tentare nobis permisimus. Convertimus autem tanto magis curam nostram in id, ut iuvenibus internum fabularum artificium uno atque altero in loco, adhibita crisi, aperiremus; quo factum est, ut vel nonnunquam defensionem Phaedri contra iniquiorem Lessingii censuram data occasione arriperemus.

# In Librum I.

*Prol.* Advertendum diligenter, quid in principio hic de fabellis suis Phaedrus profiteatur. Ait enim, se hoc genus poematum, quod Aesopus auctor reperisset, sed tanquam rudem atque incomtam materiem reliquisset, inducto Iambico metro polivisse. Videntur olim iam Graeci in fabulis Aesopi metrum disiderasse, unde ipsum etiam Socratem in carcere paulo ante mortem accipimus occupatum fuisse, in fabulis quibusdam Aesopi metro condiendis. Multo vero magis idem putandum est desiderasse Romanos, apud quos fabulae Aesopi prosaicae diu neglectae iacebant, nec nisi ad prima puerorum in loquendo exercitamenta adhibebantur, donec Horatius, et is quidem versu hexametro usus, inserta una atque altera fabella Satyris atque Epistolis suis, hoc genus poematum in honorem meritum reponere inciperet, ostendens, omni aetati fabellarum perutilem posse reddi doctrinam. Hinc paulo post animatus est Phaedrus, ut huius poematis culturam atque perfectionem unice ambiret. Vidit autem, parum se apud Romanos profecturum, nisi fabulae suae Aesopiae novo quodam artificio commendarentur. Elegit igitur his metrum, quod convenientissimum foret, Iambicos senarios. Sed ne id quidem sufficiebat. Assuefacti paulatim iam erant Romani, praesertim per Mimographos suos, *ridendo discere verum.* Illud ergo Phaedro magis multo quam olim Aesopo agendum erat, ut duplex, sicut ipse promittit, fabellarum suarum dos esset, *ut risum moverent, et vitam instruerent prudenti consilio.* Hinc et operam dedit, ut fabellis Aesopiis nonnunquam interponeret festivas quasdam aliusmodi narratiunculas. In iis, quae ab Aesopo mutuanda fuere, studiose id fecit, ut aliquid saltem innovaret, quo coloris novitate lectores diutius retineret. Nec satis. Illectavit eos etiam insuper pollicendo, se *arbores inducturum loquentes, non tantum feras:* quod tales fabellae tum essent rariores, nec putarentur

ab Aesopo profectae. Haec reputando praesto nobis erunt non pauca, quae ad excusandas Phaedri fictiones quasdam, a nonnullis reprehensas, valebunt. Non poterat hic poeta in novo Poeseos genere apud Romanos inducendo pro iudicio semper agere, et pro natura delecti poematum generis: verum saepissime ad saeculi genium, et lectorum saporem attemperare Musam suam cogebatur. Itaque accidit illi idem ferme, quod apud nos Lessingio et aliis, ut tractatio, his circumscripta limitibus, funderet fabellas complures ea facie, ut medium quiddam tenerent inter Graecarum fabularum simplicitatem et satyrae Romanae sales atque taxationem. Accedebat in Phaedro postea vitae sors miserabilis, quae efficiebat, ut in posterioribus libellis sibi magis, et amicis, quam populo, fabulas scriberet.

Fab. I. G. E. Lessingius in *Quaestionibus* suis laudatissimis, quas *de Fabulae Aesopiae natura, animantium in ea usu, divisione, elocutione et utilitate quadam singulari in institutione scholastica*, cum fabularum suarum libris III. vernaculo sermone Berolini 1777. 8. edidit, de Phaedro nostro pag. 230. tale iudicium tulit. *Quotiens*, inquit, *Phaedrus vel unum passum a simplicitate Graecarum fabularum* (earum scilicet, quae sub Aesopi nomine feruntur) *recessit, totiens impingit sane quam inepte*. Paratum deinceps se ostendit ex Phaedri libellis, ad proloquii sui probationem, exempla, quotquot deposcantur, in medium proferre. Et affert statim nonnulla ex aliis quibusdam fabulis, de quibus suo loco monebimus. Hanc fabulam *de Lupo et Agno* ibidem non tangit; immo pag. 148. laudat eam ut talem, *cuius argumentum plenissime respondeat doctrinae morali, quae inde eliciatur*. Post obitum tamen acerrimi huius Critici, in reliquiis scriptorum, quae perficere illi non erat datum, a fratre ipsius C. G. Lessingio reperta sunt *Adnotamenta* illius quaedam in primas 20 (non 19. ut frater Lessingii in nota posuit) Phaedri fabulas, quas ille acri sane censurae sub-

iecerat, comparans illas partim cum Graecis, eiusdem argumenti fabellis, partim cum aliis similibus recentiorum poetarum. Ea nunc adnotamenta leguntur edita in Tomo altero Opp. omn. G. E. Lessingii, et quidem inserta *Collectaneis* eius item relictis *ad Historiam Fabulae Aesopiae* sub nomine *Phaedri* pag. ed. Berol. 230 seqq. Destinaverat illa fortasse Lessingius novae Phaedri cum notis germanicis editioni, quam ille vir animo aliquando parabat. Utinam et effectam dedisset!

Igitur in hac prima Phaedri fabula Lessingius ad v. 1. 2. reprehendere videtur, quod Latinus poeta lupum quoque *siti compulsum* ad rivum accedere fecisset, cum in Graeca fabella multo ad rem, ut ille putat, aptius lupus agnum bibentem remotior *prospiciat* modo. Quid, inquit, necesse erat, et lupum sitientem esse? Ad verba v. 4. *iurgii causam intulit*, notat, deesse his rationem, quae in Graeco apte adiungatur, nempe *lupum speciosam aliquam agni devorandi quaesisse causam.* Ad. v. 7. 8. taxat omissam a Phaedro illam excusationem agni, qua in Graeco primum dicit *se non nisi summis labris bibere,* deinde demum infert, *alioqui non posse fieri, ut aquam illi turbet, infra stans.* Nonne, inquit Lessingius, naturale erat, ut illa excusatio in mentem prius veniret ovi? Versu deinceps 9. in verbis: *Repulsus ille veritatis viribus* desiderat Lessingius in Latino poeta observationem ingenii lupini. Quid inquit, lupo cum veritate? Longe poeta Graecus aptior, qui ponit: *Lupus, criminatione ista parum proficiens etc.* Ita his omnibus Lessingius demonstrare nititur, infeliciter, immo inepte a Graeco Latinum poetam discessisse. — Quid igitur? credemusne Lessingio et assentiemur? Non ita prorsus videtur. Ac illa quidem prima exprobratio nimis quam levis apparet. Quidni enim et lupus siti compulsus ad illum eundem poterat adduci rivum? Et id fortasse melius. Nam ita videmus, ne sitim quidem potuisse remorari lupum, quo

minus improbae voracitati, occasione data, obsequeretur. Illud alterum vero, quod Phaedrus latronem fauce improba incitatum absque praevia meditatione iurgii causam inferentem fecit, quidni prorsus egregium putemus? Anne magis naturale sit lupo, meditari causam, et speciosae quid rationis quaerere, qua obvelet rapacitatem? Immo ipsa res loquitur, male meditatas lupo fuisse causas, quibus agnus ita actutum respondere posset. Arripuerat ille primum quidque, certus, se ad rem optatam perventurum, modo interim appropinquare agno posset. Stabat enim superius, et *longe inferius* agnus. Atque ita solent iniuriosi omnes, cum absunt a praeda, dum potiri possint. Tertia reprehensio etiam inconsideratior aliquanto videatur. Consulto enim Phaedrus sine dubio praetermisit illam a summis labris petitam agni purgationem, ut quae maioris cuiusdam subtilitatis esset, quam ut lanigeri simplicitati conveniret, si vellet demonstrare, non posse suo haustu turbari fluminis aquam sursum versus; tum vero et inutilis, succedente multo clariore argumento. Illud remotius et, ut ita dicam, disciplinale, hoc proclive et ovi etiam cognobile. Iam vero illud postremum de ictu veritatis, cuius vim Phaedrus finxit etiam sensisse lupum, quid quaeso possit habere reprehensibile? An non et iniuriosi homines, quorum imaginem hic refert lupus, veritatis viribus manifesto saepe percutiuntur? Utique. Sed vincit impudentia et praedae cupido, et pravum ingenium, sicut hic lupi videmus. Nihil igitur nos moveat Lessingii in hac fabula percensenda intempestivior subtilitatis ostentatio. Immo si quis porro conferat pulcherrimum dialogismum Phaedri fabulae cum Graeca narratione multo languidiore; si consideret alterum lupi argumentum hic tanto infestius, quod ovem de maledicto criminatur in se iactato, non in patrem suum, ut habet Graeca fabella; si denique finem fabulae nostrae in actu positum, novoque lupi impudentissime captato argumento: *Pater, hercule, tuus maledixit mihi*, adauctam inventionem Graeci poe-

tae aestimet, fateatur, hanc fabellam multo politiorem exiisse ex Phaedri calamo, quam a Graeco poeta accepta erat. Et fortasse Lessingius ipse iudicium de hac fabula suum postea improbaverat, quia in Quaestionibus de fabula, loco, quo diximus, cum ab aliis Phaedri fabellis exempla ad eum castigandum petiisset, hanc non attigit. Verum cum hae illius Notae nihilominus publici iuris sint factae, possintque lectae in errorem inducere iuvenes, ut ex auctoritate tanti viri gravius de Phaedro iudicent, quam iste mereatur, hanc nobis visum est pauxillam operam impendere, qua Phaedrum et contra Lessingii censuram defensum cuperemus. Ceterum in hac fabula, quo fuimus longiores, tanto poterimus esse breviores in ceteris, cum satis sit, uno exemplo vidisse harum rerum studiosos, quae et qualiter considerare in aliis debeant.

Fab. II. Scripta haec videtur Augusto vivente, quem sub nomine Pisistrati significat, sicut sub Athenarum nomine Romam, sub Aesopo se ipsum accipi volebat. Nec offendere Augustum potuit, quod in fabella rex prior ranis datus *inutilis* dicitur. Nam quae dicebant, *ranae* erant. At Iupiter postea eundem *bonum* vocat. Quibus adversis qui instituet comparationem huius fabulae cum Graeca eiusdem argumenti, facile deprehendet, quare Phaedrus quaedam affinxerit, alia immutarit, iudicabitque eam ex urbanissimis unam et politissimis.

Fab. III. Hanc Phaedri ingenium mirifice efformavit ex duabus Graecis sat bonis, quarum altera inscripta est κολοιος και ὀρνεις altera κολοιος και κορακες, efficiens unam optimam et quam iure posset suam dicere. Id quod Lessingius non videtur observasse. Alioquin enim de altera Graeca antiqua in Notis suis non tacuisset, nec ibidem iudicasset, hanc fabulam omnium optime narrasse Aphthonium. Idem ludit nos, cum in *Quaestione de singulari quadam utilitate fabulae in scholastica institutione* ait, finiri hanc fabulam verbis και ὁ κολοιος.

ἦν πάλιν κολοιός. Nulla est fabula Graeca antiqua, quae in haec verba exeat, quae Lessingius ipse fecit. Ceterum de hoc genere inventionis, quo ex eodem argumento principali, mutatis quibusdam circumstantiis, aliae atque aliae fabulae enasci, ex pluribus una, ex una plures efformari possint, cum I. Camerarius iam monuisset, Lessingius in *Quaestione* mox laudata accuratius disseruit, exemplisque hoc artificium Fabularum suarum lib. II. quam plurimis illustravit, quem velim iuvenes studiose legant.

Fab. IV. Quae Lessingius in hac Phaedri fabula non solum in Adnotamentis, sed postea etiam in Quaestionibus laudatis p. 230 reprehendit, ea nunc credo iam evanescent. Lusit enim non illum modo, sed omnes adhuc Phaedri editores falsa interpunctio, commate post *natans* posito, quo illud participium, ut putabant, ad nominativum *canis* referri oporteret. Nobis aliud videtur. Quare sublatum illud comma ad verbum *ferret* reposuimus. Ita nunc *natans* non participium, sed nomen participiale aptissime coniungetur cum accusativo sequentis constructionis *simulacrum*, dabitque imaginem multo venustissimam. Verba autem: *Canis per flumen carnem dum ferret*, nihil aliud iam dicent, quam Graeca Κύων κρέας ἔχουσα ποταμὸν διέβαινε: quae Lessingius rectissime docuit ita esse accipienda, ut canis ponticulo flumen transgressa intelligatur. Ita demum desuper poterat *lympharum in speculo natans videre simulacrum suum*, quod cani natanti et carnem ore ferenti observari nullo modo potuisset. Atque ita tandem et hoc clarum fit, cur petitam carnem, sua dimissa, ne *attingere* quidem adeo potuerit. Et quaeri etiam possit, num Phaedrus scripserit *per flumen*, an potius *propter flumen*, id est *iuxta fluminis ripam*, sicut expressit in hac fabula Aphthonius? Quamquam ista mutatione ne opus quidem est, metro minus annuente. Nam *carnem per flumen ferre*, eodem hic

sensu dictum apparet, quo dixit Cic. ad Att. XIV, 16. *coronam auream per forum ferre.* Ceterum huius fabulae doctrina moralis multo definitior in Phaedro, quam apud Graecum auctorem.

Fab. V. Vacca et capella, ovis et leo. Egregia hercle societas! ait Lessingius post alios. Qua ratione fieri poterat, ut isti quatuor socii condicerent ad venatum scilicet? — Verum quanto aptior, quaeso, societas iungitur in Graeca fabula inter Leonem et Onagrum? quamquam eam Lessingius utcunque tueri nititur. Deinde autem, quidni ista animalia, facie, voce, mugitu et balatu suo leonem in venatione aeque adiuvare potuerint, ac alibi fecisse asinum percipimus? Sed quaerat aliquis: praedae portio quid potuisset iuvare socios istos; qui carnibus non vescuntur? Respondeo, dandum hoc esse fabellarum poetis, ut vel etiam rerum commercia et permutationes inter animalia locum habere praesumant, aut quaedam fingant his naturalia fuisse in primo naturae statu, quae sint postmodum immutata; sicut et sermonem illis tribuunt: modo ne illud negligant, quod est primarium, ut inter haec certos semper ac definitos animalium suorum, quos dicimus, *characteres* servent. Atque ita Lessingius ipse in Quaestionibus suis pag. 187. 208. 209. iudicavit. Excedunt fabulatores iure quodam concesso cum suis animalibus historicum tempus, quod idem facere videtur Phaedrus in hac fabula, cum narrat: *Vaccam et capellam et ovem iniuriae patientem socios fuisse cum leone in saltibus.* Denique subest fortasse arcani quiddam in hoc Phaedri animantium ad hanc fabulam delectu. Non enim omnino temere a Graeca fabula hic recessisse putandus est, cum id facere non nisi rarissime soleat. Quod vero Lessingius in hac Phaedri fabula etiam partitionem a leone factam sugillat, eamque praefert, quae fit in Graeca fabula, in hac re assentiri illi nullo modo possumus. Tendit fabula in id, ut demonstretur, *nunquam esse impotentibus fidelem societatem cum praepotente.* Hanc doctri-

nam partitione leonis egregie illustravit Phaedrus. *Ego primam tollo, nominor quia leo.* En superbiam! *Secundum, quia sum fortis, tribuetis mihi.* En arrogantiam! *Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia.* En animi impotentiam, quae etiam ad sophisticen confugit: *Malo adficiatur, si quis quartam tetigerit.* Ecce vim postremo et summam, ut vocat Phaedrus, improbitatem! Haec ego in partitione, quae fit apud Graecum auctorem, sentire non possum.

Fab. VI. Vacillare ait Lessingius doctrinam huius fabulae, quod liberos, a fure procreatos, non necesse sit item fures evadere. Tum praefert Babriae fabulam Graecam eiusdem argumenti, ex qua elicitur doctrina: *Hoc dictum sit illis, qui suo damno prae ignorantia gaudent.* Sed pulchre illud respexit Phaedrus, quod tritissimis veterum proverbiis fertur: *Improborum fere improba soboles.* Nec id omnino caret veritate, si exemplis aestimes. Facit huc illud Horatii: *Quo est imbuta recens, servabit odorem testa diu.*

Fab. VII. Cavillatur et in hac fabula Lessingius *cerebrum* positum pro graeco ἐγκεφάλῳ: et Phaedrum elegisse *personam tragicam.* Sed haec postea tacendo credo ipse obliteravit.

Fab. VIII. Concedit Lessingius primis hujus fabulae versibus usque ad 9. suas quasdam parvas, ut ait, venustates. Addit autem: sed hic non erat his locus, quia propter illas minus offendit fraudulentum lupi responsum. Sentit Lessingius, vix meruisse gruem aliam mercedem, ut quae non nisi iureiurando prius dato inducta esset ad medicinam lupo faciendam. Fatendum est, in hac re simplicius agere gruem in fabula Graeca et fidentius, non tamen propterea dixerim etiam sincerius et convenientius. Aesopi grus nihil sibi metuit, et lucri causa agit. At gruis Phaedri et de collo suo timendum esse vidit, proptereaque iusiurandum ante a lupo petiit, et praeterea ex pacto

mercedem flagitare potuit. Nullo enim modo hic iusiurandum intelligi datum debet propter mercedem pactam, sed propter salutem. Atque ita nunc verissima est vitae regula, quam Phaedrus deduxit.

Fab. XI. In hac fabula Phaedri prae illa similis argumenti, quam Graecam accepimus, contemnenda, multus est Lessingius. Sed mea opinióne nihil egit. Verum est, Graecum fabulatórem aliquanto determinatius deducere venantes ad antrum, in quo essent caprae sylvestres.[1] Tum intromisso asinó, leo ad ostium stans, exturbatas feras opprimit sine dispendio. Sed, quaeso, dignumne istud venationis genus leone erat? Certe id displicuit Phaedro. Itaque multo et convenientius et lepidius apud illum leo contegit asinum frutice, sicque ornatum in sylvam immittit, iubens, ut insueta voce terreat feras. Ipse ad oram saltus exitus notos petentes circumcursitans excipit atque obtruncat, non omnes quidem, sed tamen complures, donec se caede fessum ac defatigatum sentit. Tum denique iam evocat asellum etc. Fefellerunt Lessingium, ut alios multos, verba: *Contexit eum frutice.* Itaque explicat: Der Löwe verbürgt den Esel in das Gebüsche und Gesträuche. Verum quid est, quod nos ad talem rei imaginem cogat? Non illud, quod nos demonstravimus, primo intuitu multo apparet verius? Contectum frutice asinum leo immisit in saltum, ipse extra feris erumpentibus insessus. Ita asinus faciem suam non prodidit, et ruditum ingentem edens, frutice simul tracto perstrepens sylvam, auxit terrorem. Venio ad exitum fabulae. Multo is festivior apud Phaedrum, et ad propositam doctrinam prórsus appositus. Vere enim ridicula hic est aselli iactantia, quem scimus frutice obtectum operam leoni voce navasse. At in Graeca fabula non ita de nihilo iactat se, ut qui immissus in speluncam, insiliendo et trudendo exegerat capras. Immo ne satis quidem apparet, quomodo ibi leo dicere potuerit: *Nisi te asinum scissem, simili quoque in metu eram futurus.* At in nostra fabella aptissime omnia habent.

Fab. XIII. Levissimum est, quod Lessingius nimio Graecarum fabularum amore et quasi quodam praeiudicio inductus, pro *caseo* Phaedri, *carnis* potius *frustum*, quod corvo dederat Graecus poeta antiquior, malit. Quis talibus immoretur? Aliud est, quod occasione huius fabellae discere iuvenes studiosos operae pretium sit. Occupavit hunc nostrum apologum *Apuleius*, serioris aevi scriptor Latinus, haud prorsus contemnendus, in eoque primum copiosius exponendo atque exornando, dein ad minimam formam contrahendo atque cohibendo, publice differens de *Deo Socratis*, experimentum suis auditoribus dedit. Ea ego iam exempla hic infra apponam. Et copiosior quidem illa Apuleii expositio in hunc modum est facta:

*Corvus et vulpes unam offulam simul viderant: eamque raptum festinabant pari studio, impari celeritate, vulpes cursu, corvus volatu. Igitur ales bestiam praevenit, et secundo flatu propassis utrisque pennis praelabitur, et anticipat, atque ita praeda simul et victoria laetus, sublime evectus, in quadam proxima quercu in summo eius cacumine tutus sedit. Eo quoque tamen vulpis, quia lapidem nequibat, dolum iecit. Namque eandem arborem successit; et subsistens, cum superne raptorem praeda ovantem videret, laudare astu adorta est. Nae ego inscita, quae cum alite Apollinis frustra certaverim; quippe cui iam pridem corpus tam concinnum est, ut neque oppido parvum, neque nimis grande sit, sed quantum satis ad usum decoremque: pluma mollis, caput argutum, rostrum validum. Iam ipse ales oculis perspicax, unguibus pertinax. Nam de colore quid dicam? Nam cum duo colores praestabiles forent, piceus et niveus, quibus inter se nox cum die differunt; utrumque colorem Apollo suis alitibus condonavit: candidum olori, nigrum corvo. Quod utinam, sicut cygno cantum indulsit, ita huic quoque vocem tribuisset! ne tam pulcra ales, quae ex omni avitio longe praecellit, voce viduata, deliciae facundi Dei, muta viveret et elinguis.*

*Id vero ut corvus audit, hoc solum sibi prae ceteris deesse; dum vult clarissime clangere, ut ne id saltem olori concederet, oblitus offulae, quam mordicus retinebat, toto rictu hiavit; atque ita, quod volatu pepererat, cantu amisit. Enimvero vulpis, quod cursu amiserat, astu recuperavit.* Dehinc curtam, et ut loquitur Apuleius, in pauca, quantum fieri potest, cohibilitee coactam eandem fabulam videamus. Ea sic habet:

*Corvus ut se vocalem probaret, quod solum deesse tantae eius formae vulpis simulaverat, grocire adortus, praeda, quam ore gestabat, inductricem compotivit.*

Nunc ipse, rogo, confer hos Apuleii lusus, ut non dicam nugas, aut fabularum augmenta, cum apologo Phaedri, aut etiam cum eiusdem argumenti fabulis Graecis, ut perspicue intelligas, quantum inanis garrulitas, et breviloquentia sterilis distent a modica, comta et doctrinali narratione, quae una convenit fabulae Aesopiae. Rationem huius rei reddet tibi lectus diligenter de Fabulae Aesopiae elocutione agens Lessingius. Ceterum huic Phaedri fabulae in Codicibus et plurimis editionibus ad finem adsuti leguntur hi duo versus:

Hac re probatur, quantum ingenium valet:
Virtute et semper praevalet sapientia.

Hos cum et alii iam spurios dixerint, in hac editione visum est a textu prorsus oportere rescindi.

Fab. XIV. Huius narratiunculae vv. 4. 5. Lessingius pro interpolatis habuit. Nobis v. 4tus genuinus; at 5tus inepte interiectus videtur. Hinc uncis inclusimus.

Fab. XV. Hanc ipse etiam Lessingius, acerrimus iudex, inter optimas Phaedri numeravit. In Graeca fabularum collectione haec non reperitur.

Fab. XVI. Non possumus assentiri Lessingio, qui hanc fabellam valde mediocrem esse dixit. Suggerit illa prudentiae cautelam in vita communi valde necessariam; eamque res ficta apte illustrat. Caeterum haec documento

esse potest, sumsisse sibi Phaedrum maiorem quamdam in fabulis licentiam, ut qui animalibus suis etiam civilia studia atque iura tribuit. Vide quae supra notavimus ad fabulam huius libri quintam.

Fab. XVII. Lessingius hanc censet nullius pretii. Nec nobis hic omnino propugnare Phaedro animus est. Illud modo expendendum damus, de lupi exitio quae talem sententiam protulit, *ovem fuisse*. Est igitur fabula haec accommodata ad mentem hominum simplicissimorum, qui nisi fraudati et iniuriis affecti tam piis solatiis acquiescere didicissent, multo infortunatiores forent.

Sequentem fabulam, quae ordine numerorum decima octava foret, cum et Lessingius in Adnotamentis suis, sicut nos in hac editione faciendum putavimus, silentio transierit, numeris etiam duarum insequentium fabularum mutatis, verisimile fit, illum tum cogitasse de Phaedro in usum iuventutis ita edendo, ut sine morum offendiculo legi posset. Quod ille vir sine dubio multo optime praestiturus erat, si votis fata annuerent, id relictum ab eo nos hac opera nostra sarcire utcunque studuimus.

Fab. XIX. In hac Lessingius nihil videtur invenisse quod reprehenderet. Id modo notavit, in Graeco nullam fab. eiusdem argumenti reperiri. Itaque satis laudatam putamus.

Fab. XX. Praefert Lessingius Graecae eiusdem argumenti fabulae doctrinam; quae legitur in hanc sententiam, *Multi, dum lubrica spe ducti labores subeunt, consumuntur, priusquam optata contingant.* Hanc ille fluere proxime ex ista fabula ait: illam autem Phaedri non modo esse nimis quam vulgariam, sed etiam prorsus a re alienam. Hoc posterius tamen nolim dixisse Lessingium. Sed ne prius quidem. Nam si in vitio ponamus, vulgariam seu tritam fabulae doctrinam, quaeso, quid potest esse tritius doctrinis, quas supra illustrari vidimus fabulis 4ta et 9na? Et si omnes fabulae reiiciantur, quae

non nisi vulgarem doctrinam exserunt, quot nobis remanebunt, amabo, ex omni fabularum numero? Utut in fabula disciplina moralis spectetur, tamen ars in hoc poemate minus id quaerit, quae doctrina e fabula redeat, quam *quomodo illa per fictionem facti, ad doctrinam attemperati, illustretur, et ad intuitum quodammodo subiiciatur.* Alienam autem esse doctrinam huius fabulae a re narrata, equidem minime dixerim. Immo propiorem etiam atque minus vagam putem illa, quam fabulator Graecus praebuit.

Fab. XXI. v. 9. praetuli cum Neveleto et aliis lectionem *exterit*, pro qua Burmannus et eum secuti assumserunt *excutit*.

Fab. XXVII. Narratiunculam hanc verius dixeris, quam fabulam. Id quod auctor ipse significare videtur, cum ita orditur: *Haec res avaris esse conveniens potest etc.* Et habes hic primum exemplum illius poematum generis in Phaedro, quod medium quiddam supra diximus servare inter fabulam et satyram.

Fab. XXVIII. Effinxit hanc Phaedrus ex Graeca, quae est numero prima in collectione Neveleti a. 1660: eamque sua immutatione prorsus aliam reddidit. In Graeca fabula Vulpes et Aquila amicitia inita prope habitant. Haec alta in arbore pullos fovens, vulpinos catulos, matre absente paulo post e proximo arbusto rapit, suisque escam defert. Moeret vulpis, et aquilam, quod solum poterat, convicio incessit. Haud multo post, cum aquila carnes de ara rapuisset, carbones simul adhaerentes in nidum fert. Corripit flamma nidum cum arbore. Accurrit vulpes, pullosque aquilae male assatos e nido decidentes non sine ultionis gaudio devorat. Redit doctrina, perfidos ultionem manere divinam. — Vides, ut Phaedrus, nulla initae amicitiae mentione iniecta, aquilam tantum raptorem fecit? Deinde studio novae inventionis ductus reputavit secum: Quid si vulpes inducatur precibus aqui-

iam extemplo persequens? Quid si, contemtis precibus suis, vulpis ab ara rapuerit ardentem facem, incensura arborem cum nido aquilae? Ita nempe suorum periculo mota aquila nonne poterat cogi, ut desisteret ab iniuria, et catulos vulpi restitueret? His sumtis, ecce alia orta est fabula, nescio an moribus informandis efficacior illa Graeci fabulatoris.

# In Librum II.

Auct. In hoc Prologo adverte primum, quam perite ac vere Phaedrus fabulae Aesopiae finem et scopum declaret: deinde, quam modeste ac parce de suis in hoc poematum genere perficiendo ac perpoliendo meritis loquatur. Aesopo ut nihil detractum it, ita sibi tamen vindicat in fabulis *brevitatem* cum *gratia* junctam. Id quod feliciter assecutum illum nemo facile negaverit.

Fab. I. Non possum obtinere a me, ut hujus fabulae postremos duos versus a Phaedro profectos existimem, ita hi non modo supervacui sunt, sed etiam conculcant doctrinam superius propositam:

*Attende, cur negare cupidis debeas;*
*Modestis etiam offerre, quod non petierint.*

Cum hac doctrina unice consentit fabula. Itaque illos duos versus ab aliena manu adjectos puto, propterea que uncis includo.

Fab. II. Expressum hoc est ex Graeca Fabula 165. Coll. Nevel. In Graeco tamen, quia doctrina subiicitur: *Sic ubique nocua est inaequalitas:* iure fabulam dicas. Apud Phaedrum jocus est magis, Mimo conveniens, quam fabula.

Fab. III. Imitatus est fabulam graecam 23tam non sine varietate, magnopere commendabili. Illud sine dubio in Phaedri fabula aptius, quod dicit Aesopus: *noli coram pluribus Hoc facere canibus etc.* quam quod in Graeca fabula homo morsus medico suadenti, ut tinctum cruore panem objiceret cani, respondet: *Sed si hoc fecero, oportebit me ab omnibus qui in urbe sunt, canibus morderi.* Unde id rescirent ceteri omnes? —

Fab. V. Narratiuncula festiva, et paene satyra. *Ardelio* nomen Vossius deductum putat ab *ardea*, ave mobilissima. Quid si potius ab *ardendo* factum dicamus, quasi dicas hominem *cui caput ardeat*? Ac fere sic etiam Germani de hominibus male sedulis et inquietis, et multum agendo nihil agentibus loquimur: Es brennt ihm der Kopf. V. 24. verba: *et opera nequicquam perit*, quae a multis explicantur per *irrita est*, mihi e contrario significant: *nequaquam* seu *nullo modo periit.* Ita enim Caesar hominem suspensum tenuit, dum subjiceret: Sed ut manumissionem (id enim significant *alapae*) consequaris, alia tibi ac multo majora merita apud me ponenda erunt.

Epil. Horatium imitatur, promittens sibi verbis tectioribus immortalem gloriam, poetico ingenio debitam. Apparet simul, Phaedrum primum in numero poetarum Romanorum fuisse, qui in hoc genere elaborarit. Id enim ipse gloriatur. Ex vers. 12 — 14 posse conjici, hos duos priores libellos tamen singulari cuidam viro fuisse a Phaedro missos et quasi dicatos, quamvis is non nominetur, diximus superius, cum de vita hujus scriptoris exponeremus. Ad lectores saltem in genere dicta haec vix arbitrer. Versum 15tum eo modo constituere quo Tzschuckius in sua editione a. 1790 suaserat, nihil dubitamus. Vulgata lectio offerebat:

*Sin autem: ac illis doctus occurret labor.*

Sed jam Neveletus dederat: *ab illis doctus occurrit labor.* Hoogstratanus: *Sin autem et illis doctus accurrit labor.*

## In Librum III.

Prol. Putes legere te pulcherrimam aliquam Horatii epistolam; sic pellucet urbanitas. Sermocinationem versus 8vi credo apte adjuvimus meliore distinctione inducta. Antea enim legebatur: *Fortasse dices: Aliquae venient feriae.* Versus 17 — 20 habent professionem patriae nostri auctoris, Thraciae nempe: ibi enim jugum olim Pierium. Versu 22. ausus sum conjectura reponere *invitatus* pro *invita.* Intelligenda ergo fuerit laus amicorum quorundam. De sensu versuum 41 — 44 in vita hujus poetae supra disputavimus; ut et de aliis hujus prologi locis. Cetera satis per se aperta. De Eutycho non habemus, quae exactius dicamus, quam itidem in vita poetae fecimus. Ex ea potissima quaeque in memoria sunt habenda, ut hujus atque sequentis libelli fabulae patescant.

Fab. I. Sub allegoria auctor de se ipso loquitur. Dejecit miseria vitae statum, non animum, nec ingenium.

Fab. II. Fortasse et sub hujus fabulae specie auctor inimicis suis et oppressoribus minabatur.

Fab. IV. Jocus urbanus magis est quam fabula.

Fab. VI. In pulcherrimis haec merito censenda. Versu 9. pro *strigandum* Wakefildius maluit *pigrandum.*

Fab. IX. Apophthegma est, cui Phaedrus proposita sententia generali formam fabulae induit: simulque arripuit occasionem animi sui Socratici declarandi.

Fab. X. Historiam narrat, quam possis, fabulam Tragoediae, ut recentiores divisere, civilis dicere. Versu 26. induximus aliam interstinctionem, ut spero, aptiorem ad sensum. Antea enim legebatur: *tentat in tenebris caput*. Sed *tentare* hic est tappen, darauf herum greifen, et ad *lectum* refertur. De postremis versibus videsis, quae supra in vita Phaedri a nobis notata sunt.

Fab. XII. Ingeniosa hujus fabulae applicatio, qua taxat vituperatores libellorum suorum. Versu 5. lectionem *pristinum* assumsimus pro *maximum*. In versu 6. magis probatur nobis *qui*, quam, ut complures dederunt *qui*. Sensus est: Ego, qui te inveni, is sum, potior cui multo est cibus.

Fab. XIII. Sensus postremorum versuum duorum non apertus satis. Videntur nostri poetae quaedam carmina alii quidam pro suis venditasse. Hos ille provocabat in praesens certamen, pacta fide, si carmen sui saporis perficere possent, et illa sibi haberent, quae pro suis interim venditassent. At hi pactam fidem recusabant, quo simul arguebantur, non esse suum, quod suum ferebant. Hos igitur scripta fabula ulciscebatur. De carminibus controversiam fuisse, maxime indicat versus unus.

Fab. XV. Versus duo postremi adjecti nobis videntur: quare uncis sepsimus. Doctrina ex hac fabula proveniens concluditur omnis hoc versu: *Facit parentes bonitas, non necessitas.*

Fab. XVIII. Non videbantur nobis a cetera fabula separandi versus postremi duo, qui Junonis eloquium perficiunt. Est ergo fabula ex eo genere, quod separata non indiget doctrina, cum insit.

Quem Burmannus hujus libri Epilogum fecerat, incipientem: *Supersunt mihi quae scribam etc.* cum nos

exemplo aliorum, et auctoritate editionum antiquissimarum moti, ad finem libri sequentis potius transtulimus.

# In Librum IV.

Initio hujus libri Burmannus statuerat Prologum, qui incipit: *Cum destinassem operis habere terminum etc.* Eum cum hic libri veteres ignorent, et potius prologum libri V. ad Particulonem fuisse ostendant, huic auctoritati aliis etiam editoribus praeeuntibus, libenter obsecuti sumus. Verus libri IV. prologus is est, qui cernitur, incipiens: *Joculare tibi videtur etc.* Huic inscriptionem fecimus: *Auctor*, cum in antiquis editionibus legatur, *Poeta*. Illud nobis convenientius putatur, quod ita libri IIItius et IVtus, ad Eutychum dati, eodem modo inter se conjunguntur, quo superiores duo libri Imus et IIdus. Videntur enim, ut illi, ita etiam hi bini conjunctim editi ab auctore et conformati similiter fuisse.

Fab. I. Separavimus hanc a prooemio libri, peculiaremque inscriptionem ei fecimus: *Mustela et Mures.* Ita enim videbatur poscere res et edendi ratio.

Fab. III. Tradit Aristoteles Rhet. II, 20. hanc fabulam Himerensibus narrasse Stesichorum, quo deterreret eos, ne Phalaridi, quem alioquin jam ducem cum summa potestate fecerant, porro etiam corporis custodiam circumdarent, qua futurum esset, ut tyrannidem in ipsos exerceret. Ut eam fabulam refert Aristoteles, argumento non differt a nostra; pro *cervo* tantum, quem Graeca fabula habet, Phaedrus *aprum* elegit. Propter applicationem vero disertam ad Himerensium causam, quam addidit Stesichorus, Phaedrus autem in generalem doctrinam mutavit; Lessingius in Quaestionibus suis Graecam fabulam et *allegoricam* dicit et *compositam*; Latinam

vero *ſimplicem* pronuntiat et *allegoria carentem*. Fateor non omnino probari mihi Leſſingii diviſionem, qua fabulas in generalem doctrinam tendentes, *ſimplices* facit; at illas, quarum applicatio fit ad ſingulare aliquod factum, cujusmodi et Phaedri fabulam I, 2. vidimus, *compoſitas* vocat. Nequaquam enim mutatur natura fabulae, ſive illa generaliter, ſive ad cauſam ſingularem aliquam applicetur. Namque illa fabulae ad rem ſingularem applicatio, ſi recte concepta ſit, neceſſario ſub generali doctrina continebitur. Quod cum Leſſingius ipſe non eat infitias, efficitur, illam fabularum diviſionem in ſimplices et compoſitas, *formae* diſcrimen inferre magis, quam *naturae*. Mihi, retenta Leſſingii nomenclatura, magis placeat *ſimplicem* dici eam fabulam, ex qua non niſi una quaedam doctrina elici recte poſſit; *compoſitam* vero eam eſſe appellandam, ex qua vel plures etiam doctrinas producere recte liceat. Itaque cum Phaedrus ex hac fabula generalem doctrinam eliquerit, quae tamen re vera non alia eſt ab ea, quam inde Steſichorus ad peculiarem Himerenſium cauſam devocavit, nec facile alia quaedam doctrina ex illa elici recte poſſit, quam hi duo, alter ſingillatim, alter generatim applicando elicuere, utraque fabula, et Graeca et Latina, opinione mea *ſimplex* erit dicenda. At ſi *compoſitae*, ut nos definivimus, exemplum habere velis, paulo poſterius in fabula hujus libri Xma invenies, ex cujus argumento Phaedrus tres diverſas prolicuit doctrinas. Tertia dehinc claſſis earum fabularum poterit ſtatui, quarum applicatio per translationem ab una re ad aliam fieri intelligitur, ex lege analogiae. Tales fabulas merito poſſis *translatas* appellare. Veluti de hac Steſichori fabula clarum exemplum nobis exhibuit Horatius Epp. I, 10. ſic illa utens:

*Cervus equum pugna melior communibus herbis*
*Pellebat, donec minor in certamine longo*
*Imploravit opes hominis, frenumque recepit,*

*Sed postquam victor violens discessit ab hoste,*
*Non equitem dorso, non fraenum depulit ore.*

*Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis*
*Libertate caret, dominum vehet improbus, atque*
*Serviet aeternum; quia parvo nesciet uti.*

Fuerit ergo secundum ea, quae diximus, fabularum Aesopiarum divisio triplex, ut sint aliae *simplices*, aliae *compositae*, aliae *translatae*. Quae divisio si recipiatur, fortasse facile ceteris divisionibus omnibus supersedere possimus. Apparebit praeterea, eas fabulas, quas nostro sensu *simplices* appellamus, omnium excellentissimas ac perfectissimas esse, proptereaque ad docendam et persuadendum aptissimas: proximum occupare locum *translatas*: *compositas* autem ad finem fabulae obtinendum minus esse idoneas, ut quae audientis mentem in plura, et saepe diversissima distrahant. Quod si porro tamen simplicium fabularum classem subdividere opus sit, eas fabulas, quae generalem aliquam doctrinam efferunt, *communes* dixerim; illas vero, quae singulari aliquo facto applicantur, vocarim *proprias*. Itaque omnis fabula fuerit aut *simplex*, eaque vel *propria*, vel *communis*, aut *composita*; aut *translata*.

Fab. IV. Narratiunculam hanc esse, non fabulam Aesopiam, quis est qui non videat? Non convenire huic inscriptionem *Poeta* satis planum est: nec putem istam inscriptionem sic esse a Phaedro profectam. Aptior certe foret: *Aesopus testamenti explicator*.

Fab. VI. Satyram possis dicere, qua Phaedrus vituperatores fabellarum suarum perstrinxit. Erant enim, qui eas ut leves ac futiles iocos contemnerent et fastidirent. Hos ut ostenderet non ratione aliqua certa, et graviore duci ad obtrectandum causa, sed mero vitilitigandi studio, finxit, se ex fabellatore repente factum esse poetam tragicum. Itaque a versu 6. incipit magno

ore, imitatus Ennium in Medea Euripidis, cothurno dignam fabulam prologui. At vixdum paululum progressus, sustinet impetum, et conversus ad Aristarchos suos, interrogat, quasi certus laudis: *Quid tibi videtur?* Sed en palatum! Hic quoque, quod reprehendant, inveniunt. Et quid illud est? Desiderant in tragica fabula historicam fidem, et vitio vertunt poetae in Medea abominationem bipennis Thessalae, quia multo ante iam Minos, rex Cretae, classe domuisset in Aegeo mari piratas cuncta infestantes. Quasi ergo Minois naves dedissent proxime mala, ab Argonautis tanto post in Colchidem illata, non Argo Thessala! Pro merito igitur nunc iam Phaedrus a versu 21. istos vitilitigatores coercet, qui et consimiliter fabellas Aesopias, ut levia et homine sano indigna figmenta, morsibus suis appeterent, stolidi atque prorsus ignori, quantum haec utilitatis ad vitam intus ferrent.

Fab. VII. In eosdem Phaedri vitilitigatores haec fabula videtur scripta.

Fab. VIII. In primis duobus versibus aliam interstinctionem fecimus, unde sensus exit verior. Nam antea legebant:

*Homo, in periculum simul ac venit, callidus*
*Effugium reperire alterius quaerit malo.*

Ita hoc de omnibus hominibus pronuntiaretur, quod falsum foret. Etenim poeta non aliud quodcunque animal, sed *vulpem* inducit pro suis moribus agentem.

Fab. IX. Nimis argute, mea opinione, hic reprehendit Lessingius, quod Phaedrus Iovi nominatim acceptas tulerit peras istas hominibus impositas. Quantum, inquit, abest absurda ista fictio a blasphemia apertissima? Multo hic amabilior Graecorum pietas, quae huic figmento Iovem omnino non immiscet. Est sane aliquid in ista Lessingii reprehensione, quod coarguere paene reformi-

des. Sed si inspicias altius, tamen et Graeci has peras non alii acceptas ferre poterant, quam Iovi suo, etsi aperte id non dixerint. Et si consideres hoc diutius, atque ad vitam referas, fortasse etiam a Deo bene factum, et humano generi benigne sic consultum dicas. Namque ita, etsi nostra vitia non videamus, tamen eorum ab aliis multo acrius atque efficacius admonemur, quam id a nobis expectandum foret, si ipsi ea cerneremus. Quodsi Phaedrus ita sensit, quis eum blasphemia arguerit?

Fab. X Nihil inexpertum Phaedrus in fabellarum tractatione voluit relinquere. Itaque hic tentavit fictionem fabulae compositae, quam in Quaestionibus suis p. 138 seqq. carpit Lessingius sophistice magis quam vere. Ait enim historiolam hanc esse, non fabulam; idque hoc argumento colligere studet. *Res* inquit, ut geritur, ita evenit; (hoc enim videtur velle Lessingius, dicens: Ein *Historchen* trägt sich zu); at *fabula* fingitur. Omni autem fictioni, atque ita fabulae quoque, finem quendam subesse oportet, et rationem, cuius causa ficta cognoscatur. Quae cum in hoc Phaedri argumento desideretur, non est fabula. — Transeo cetera: sunt enim nimis futilia, et Lessingii ingenio indigna, quibus evincere nititur, nullum deprehendi in hoc argumento consilium auctoris, quod tendat in finem aliquem moralem. Contra haec omnia Phaedrus ipse se luculentissime defendit. Primum enim sponte profitetur, se hoc argumentum *repe*-*risse*. Ergo *fictionem* habemus. Deinde ostendit, se hoc ideo ad hunc modum finxisse, ut inde plura simul ad vitam et mores utilia eliceret; id quod et fecit, tres egregias doctrinas producens. Quod vero ait, non facile alium explicaturum, quot res contineat hoc argumentum utiles, quam illum, qui reperit, de multitudine doctrinarum id intelligit, et peculiari in hac fabula effingenda consilio suo Nam unam ex his doctrinis videre proclive erat omnibus, eam nempe: *scelera non ira deûm*, *Fa*-

*torum dicto sed puniri tempore:* sed ceteras minas. Solvitur autem omnis difficultas judicationis, recepta illa fabularum divisione, quam supra proposuimus; unde cognoscitur, hoc Phaedri argumentum pertinere ad classem fabularum *compositarum*. Imo, si retexta Lessingii tela, fabularum Aesopiarum genus varium ac multiforme de integro ad censuram vocet iudex aliquis acer atque incorruptus, ausim praedicere, id eventurum, ut vel iterum ad Graecorum fabulae definitionem etiam revertamur, qua statuebat Hermogenes ille Tarsensis, τὸν μῦθον esse ψευδῆ γὲ, πάντως δὲ χρήσιμον πρός τι τῶν ἐν τῷ βίῳ. Hoc interpretari sic libeat: *Fabula est res ficta et in se falsa quidem, sed prorsus apposita ad aliquid eorum, quae vita fert, demonstrandum.*

Fab. XI. Respice Catonis distichon IV, 4. cui huius fabulae doctrina aptissime respondet.

Fab XVII. Narratiuncula haec iocosa magis quam fabula. Versu 21. cum Hoogstratano visum est assumere *abeunt*, pro *adeunt*, quod pleraeque edd. ostendunt.

Fab. XIX. Novo more huius fabulae doctrinam per apostrophen extulit Phaedrus, et rhetorice exornavit; idque in re graviore, quam fabula ista tractat, non parum est commendabile. Ita enim fit clarius, fabulam inservire doctrinae, non vice versa.

Fab. XX. Cur hoc maxime loco visum sit Phaedro, interponere novam fabularum suarum, et famae defensionem, non liquet omnino. Nisi si illo tempore, cum haec scriberet, novae quaedam forte eius libellorum calumniae ab obtrectatoribus spargebantur, quibus illum vidimus iam in huius libri Fab. VI. obniti. Anne in hac re quoque Phaedrus aliquid novae formae captabat?

Fab. XXI. Historia haec est, ad doctrinam pulcherrime applicata, et coniungenda cum illa altera de eodem Simonide, quae postremum huius libri locum occupat. Non temere id fecisse videtur Phaedrus, ut fabulis aliquas tam venustas intersereret narrationes. Quippe varietate ista oblectare magis lectores suos volebat.

# In Librum V.

Prol. De hac libri dedicatione diximus in vita Phaedri. Hoc loco critica quaedam in hunc Prologum expromenda videntur. Coniunximus eum cum versibus insequentibus: *Aesopi nomen sicubi interposuero etc.*, quos priores editiones separatos sub nova inscriptione *Idem Poeta* ostendunt. Apertissimum enim ex continuatione orationis nobis existimatur, non esse haec duo nisi unum prologum. Itaque et versuum numeros continuavimus. Ceterum versus 12. sine dubio ab aliena manu interiectus ad explicationem praecedentis: quapropter uncis inclusimus. Versu 14. Tzschuckii coniecturam libenter amplexi sumus, pro *Quartum* legentis *Harum*. Ita enim omnia apte cohaerent. Versu denique nunc 27. et 28. coniectura nostra effinximus: *sic fabulae audiant Adeo fucatae*. Proxime accedit haec lectio ad antiquum Neveleti textum, qui offert: *Fabulae exaudiant Adeo fugatae*. Sensus erit: Ut statuarii nostri et sculptores opera sua commendant adscriptis nominibus Praxitelis et Mytonis, ita et ego in commendationem fabularum, quas in honorem meritum repositas cupio, quidni facile patiar, ut vel *fucatae* audiant, id est, dicantur Aesopi potius quam Phaedri? Sic enim certior atque gravior illis auctoritas erit. — Alias alii horum versuum lectiones excogitarunt. Ita Burmannus:

Si marmori adscripserunt Praxitelen suo
Detrito. Mirum, ni animos fabulae excitent
Adeo fucatae.

Verbum *detrito*, quamvis antiquae editiones ostendant, tamen iam Hoogstratanus adiectum iudicavit, eoque abiecto restituit, *Myronem argento*. Sed cetera, quae sequuntur, prorsus exterminavit. Iudicent de nostra emendatione eruditi.

Fab. I. In huius narratiunculae fine dolemus amissum unum atque alterum versum.

Fab. II. Huius primi versus duo innituntur auctoritati Codicis Perotti. Languet tamen illud, *alter autem*, et videtur prodere interpolatorem.

Fab. III. Versus postremi tres, in quibus doctrina continetur, diversis modis a diversis leguntur. Nobis illa approbatur lectio, quam dedimus.

Fab. IV. Observa denuo novam doctrinae a poeta nostro tentatam tractationem.

Fab V. Narratiuncula festiva, cui praeposita doctrina Phaedrus formam induit fabulae, sicut pluribus exemplis ante vidimus, et mox videre est denuo in Fab. VII.

Fab. VIII. Hic iam non contradicemus Lessingio, qui hos versus nil aliud esse dicit, quam *imaginem allegoricam*. Nos etiam adderemus: *a Phaedro ex tabula picta in verba translatam*. Voluit tamen Phaedrus suae imagini induere faciem fabulae, subiectis postremis duobus versibus, quos propterea tanquam doctrinam a superioribus recepto more distinximus. Confer Catonis distichon II, 26.

Fab. X. Sibi Phaedrus hanc fabulam scripsit, in qua senem se iam factum annis, non animi defectu, declarat.

Epil. Transtulisse nos hunc epilogum a fine libri IV. ad istum locum, superius in vita Phaedri iam dictum est. Comprobant id, ni fallor, omnia. Sed sit liberum iudicium.

## In Appendicem Fabularum.

Subiectas quinque fabellas Marquardus Gudius, vir ut universim de optimis litteris, ita de Phaedri fabulis sigillatim praeclare meritus, ex Manuscripto Divionensi descriptas cum pluribus reliquerat. Ceterae tamen post mortem eius discissae perierunt. Has quinque superstites servavit ac edidit Burmannus, dignas sane Aesopi politore Phaedro.

Neque vero minus, immo unice dignam Phaedro censeam fabulam illam, quam ex Cassiti nuper in Bibliotheca Regia Neapolitana detectis unam prioribus quinque Gudianis in hac editione separatim apposui sub inscriptione *Prometheus et Dolus*. Ei et alteram inscriptionem editores priores addiderunt, *De Veritate et Mendacio*, cum potius ponenda fuisset, *De Origine Veritatis et Mendacii inter homines*. Spirat autem omnis haec fictio originem graecam, adeo simplex est, et venusta et apta. Versus 15. *Propriae videri voluit artis gloriam* nihil aliud dicit, quam *pro suo opere haberi noluit*. Mutilos versus postremos in hunc modum restituere tentabam:

Mendacium appellatum est, quod *mendosos*
Pedes habere *facile* ipse *incessus indicat*.

Pro *incessus* divinabam etiam *amictus*, *cultus*, *gressus;* sed minus ista placent. Ceterum haec fictio similis est illis, quae in Phaedro fabulas peperere libro IV. nonam, et libro V. octavam, videturque e tabula picta

in versus transisse. Nota est praeterea alia Phaedri fabula, quae inscribitur *Prometheus* libro IV quintadecima, quam pro ratione nostrae editionis omisimus. Ea prodit, plures de Prometheo fabulas Phaedri una serie fuisse positas, unde in posterum in editionibus Phaedri non castigatis et huic noviter detectae fabulae locus antiquus suus facili coniectura restitui posset.